HISTORIA MEDICA TRIUM MORBORUM QUI ANNO 1760...

Johann Georg Hasenöhrl



HISTORIA MEDICA TRIUM MORBORUM

QUI ANNO 1760. FREQUENTISSIME IN NOSOCOMIO MIHI OCCURREBANT.

CUI ADJECTA EST

NOTABILIUM OBSERVATIONUM ANATOMICARUM.

DECAS.

AUTORE

JOANN. GEORG. HASENÖHRL,
NOSOCOMII HISPANICI MEDICO
ORDINARIO.



VINDOBONÆ,
TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER,
CÆS. REG. APOST. MAJEST. AULÆ TYPOGR.
ET BIBLIOPOL. ANNO MDCCLXI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO

GERARDO

L.B. VAN SWIETEN,

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS
ET IMPERATRICIS A CONSILIIS,
ARCHIATROR. COMITI, BIBLIOTHECÆ
AUGUSTÆ PRÆFECTO, INCLYT. FACULT.
MEDIC. VIENN. PRÆSIDI PERPETUO, NEC
NON ACADEMIÆ REG. SCIENT. ET CHIR.
PARIS. INSTITUT. BONONIENS. ET
LITER. INCOGNITOR.
MEMBRO &c.

Hoc leve conamen,
Seque totum dedicat.

JOANN. GEORG.
HASENÖHRL.

VIR ILLUSTRISSIME!

Jam iterum inſcribere audeo tenue hoc opuſculum Illuſtriſſimo TUO *nomini, quo luculentius meam erga* TE *pietatem, cultum, obſervantiam atque animi gratitudinem demonſtrarem.*

Etenim magnopere ſemper exoptavi, ut omnibus innoteſceret, quanta TIBI *debeam, quantave* TUORUM *in me col-*

latorum beneficiorum ſit magnitudo: quippe ſtudiis meis, eo plane modo, quo alias ſolebas, favere pergebas, hæc promovebas, imo & laudare dignabaris: quemque medicinam diſcentem educaveras: quem theoriæ præceptis, atque firmiſſimis praxeos regulis antehac communiviſti, hunc demum artis exercitio admotum voluiſti.

Qua-

Quapropter TE annuente ſat magnum Noſocomium meæ curæ concreditum eſt, ut illa, quæ TUO ex ore hauſeram, praxi, atque uſu comprobarem.

Neque in hoc conquieviſti, ſed aliud adhuc tanquam cumulum ad reliqua liberaliſſime adjeciſti, ſcilicet, dum videres me ſanandis ægris plurimam navare operam, illisque pro virili ſuccurere, a CLEMENTISSI-

MA AUGUSTA nostra impensi laboris præmium impetrasti, sicque perfecisti, ut meos vitæ dies melius, comodiusque transigerem.

Igitur si parentes, quos natura dedit, revereri oportet, eo, quod vitæ exstiterint autores, utique ampliori longe cultu digni videntur illi, qui bene, beate, atque honorifice, vivendi occasionem suppeditarunt. Et ut multa paucis complectar.

TIBI disciplinas, dignitatem, literas

debeo

PATRONE, PRÆCEPTOR, PATER.

Hanc vero privatæ beneficentiæ multiplicitatem mirandum in modum auget, atque extollit illud, quod publicæ utilitatis semper primam habueris rationem; siquidem non postrema

TUA laus eſt tantam nunc eſſe eruditorum frequentiam, literatorum copiam, docentium celebritatem, ſcientiarum florem, ſtudiorum ardorem: TUA enim induſtria hæc invexit, accumulavit, incendit.

Quæ cum ita ſint, quis eſt, qui non TIBI ſummas gratias referendas eſſe arbitretur? Quis eſt, qui non TIBI grati animi vicem rependat?

Equi·

Equidem, teste gravissimo Tullio, nihil tam proprium hominis est, quam non modo beneficio, sed etiam benevolentiæ significatione alligari, nihil vero tam inhumanum, quam committere, ut beneficio, non dicam indignus, sed victus esse videare, quod ingratitudinis sit vitio.

Ego saltem, ne cui forte officium deseruisse videar, statuo in præsentia, hoc leve conamen

tan-

tanquam grati animi teſtimonium INCLYTO TUO NOMINI inſcriptum edere, quod ut velis ea, qua me alias ſoles, benignitate excipere, TE etiam atque etiam oro.

Quod reliquum eſt, VIR ILLUSTRISSIME fac valeas, ſtudiisque meis deinceps quoque favere pergas, prout hucusque ſingulari prorſus benevolentia feciſti.

AD

AD LECTOREM.

INter diverſa morborum genera, quæ hoc anno in lucem prodibant, tres potiſſimum morbos ſelegi deſcribendos: Febrim nimirum inflammatoriam in genere: inflammationem ventriculi, & febrim catarrhalem tum benignam, tum malignam: non quod non alii congeneres morbi ſimul regnarent, ſed quod hi cæteris frequentiores forent, atque medentis attentionem præcipue depoſcerent.

Novi nihil, ſi rem ipſam ſpectes, hoc opuſculo iterum molior, quippe veteris medicinæ præcepta, qualia etiam Hippocratis tempore fuerant, hic confirmata reperies, alia tamen ſcribendi ratione, quam ſæpe ſolam ſuſpicimus in recentioribus, exhibentur: enimvero ex eodem plane ſemine; nempe ex ca-

ſta,

ſta, & multiplici obſervatione propulularunt mea, uti aliorum obſervata.

Noſocomium, in quo praxim facio, numeroſos complectitur ægros, quos inter acuti plerique, chronici pauciores; & idcirco ampliſſimus panditur obſervanti campus.

Varii ægrotantium caſus in decurſu ſubjiciuntur, quos penes lectos ſollicite adnotaveram, ut confirmarem illa, quæ hinc inde aſſeruntur. Epidemiam hoc anno vidi nullam: exanthemata pauca ſeſe offerebant, quorum ortum, eruptionem, atque abitum, diligenter obſervavi, ut, num critica forent nec ne? accurate dignoſcerem: ſed vidi multoties, illos, qui, conferto exanthemate ſcatebant, gravius longe ægrotaſſe illis, qui pauco macularentur, indicio manifeſto,

copio-

copiosa exanthemata non perinde, ac alias evacuationes largas critice judicare morbum.


Sæpe & animadverti, in morbis, quos criticus ex integro dispulit sudor, effloruisse miliaria, quæ in homine febris jam experti sine ullo discrimine decurrebant, atque citissime facessebant.

In febribus catarrhalibus, peripneumoniis toties sine dierum lege aut levamine emerserunt exanthemata, sed postliminio salutaris evacuatio per alvum, urinam & sputum consequebatur. An ergo exanthemata in morbis acutis prorumpentia, semper & ubique critica appellari merentur?

Dicta hucusque innituntur fideli experientiæ, quod si quis tamen meliora, melioribus adductus argumentis in medium protulerit, il-

li

li minime ſum refragaturus; quæ enim a me proponuntur, eo ſolummodo referuntur animo, ut peritioribus de his, quæ ſane obſcuritate non carent, diligentius cogitandi occaſionem præbeam, non, ut aliis ſentiendi leges præſcribam.





Conſtitutio aëris Anni 1760.



Mitiſſimus ingrediebatur hic annus, nec turbam morborum adeo validam ſecum invexit, prout illi, qui exſpirarunt; vix enim rudera prægreſſæ conſtitutionis epidemicæ obſervabantur.

Primis quinque vel ſex diebus cœli temperies valde mitis, aeris puritas, clementia ſplendentis ſolis, prægreſſo menſe Decembri frigore ſtricta, laxavit corpora, tandem copioſæ ceciderunt pluviæ; hinc glacies, quæ flumina Viennam alluentia obſidebat, calore fracta ſeceſſerat, jamque navium commercium reſtitui incipiebat. Sed paulo poſt ingruente aquilone, auctoque gelu omnia

nova glacie obducebantur, atque corpora recenti frigore ſtringebantur. Inconſtans itaque ſemper fuit brumæ tempeſtas, vixque erant, qui meminere Danubium toties glacie conteſtum, totiesque hac ſoluta liberatum fuiſſe; hinc fieri non poterat, quin morbi quoque aëris viciſſitudini originem debentes ad tempeſtatis, velut unici exempli, mores perfecte ſeſe formarent.

Quotidiana autem conſtat experientia, temporum ac aëris repentinas mutationes ad morbos inferendos eſſe aptiſſimas; in hoc quotquot ſumus, vivimus, illo fruimur & veſcimur aſſiduo, hunc ut inſpiremus, exſpiremusque, vitæ ratio & inevitabilis neceſſitas cogunt, vixque momento ejus uſura carere poſſumus. In aëre igitur maxima vis reſidet vitam & integritatem actionum noſtrarum conſervandi, & contra totam humani corporis œconomiam corruere neceſſe eſt, ſi a debita ſibi temperie degeneraverit. Hoc confirmat magnus Hippocrates in lib. de natur. homin. ubi ait: *morbi oriuntur a ſpiritu, cujus inſpiratione vivimus:* in lib. de flatib. *aërem maximum in omnibus, quæ corpori accidunt,*

cidunt, *authorem*, *dominum vitæ & fabrum morborum* nuncupat; hinc non immerito ſapientiſſimi veterum ſedulo nobis inculcant, ut qui medicinam in certo loco facimus, non modo ejus loci naturam & ſitum, victusque rationem, ſed præcipue ventorum & anni temporum viciſſitudines, differentias, & morboſas affectiones inde reſultantes, ſollicite adnotemus, ut ſic de natura morborum hoc vel illo tempore graſſantium aliquanto rectius judicium ferre queamus.

Equis obſecro non novit a perpetua aëris varietate ex calido in frigidum & viçiſſim acutiſſimos produci morbos inflammatorios, dum corpori paulo ante calenti applicatur aura frigida, mox vaſa prægreſſo tepore laxata, ſtringuntur, moleculæ fluidorum adunantur, hinc fieri nequit, quin & ex imminuta canalium capacitate, & ex aucta fluidorum mole ſtaſes contingant in extremitatibus minorum vaſorum, difficulter reſolvendæ: ſed & tenerrimorum vaſculorum orificia, in extima cute hiantia, frigore contrahuntur: hinc & hoc effectu ſalubris adeo & ad vitam neceſ-

ſaria perſpiratio impedietur: unde multiplicium denuo morborum origo derivari poteſt; atque ob hanc cauſam autumnus morborum maxime ferax audit inter medicos, quod plurimum varient tempeſtates; idem Celſus jam indicavit dicens: *per autumnum vero propter Cœli varietatem periculum maximum eſt.*

Ejusdem plane proſapiæ morbi ſunt illi, qui tempore hyberno ab exercitio, motuque corporum vehementiori, adeoque & ſanguinis curſu citatiori oriuntur, uti enim fluidis a cauſa interna immutatis, atque a naturali, quæ iis ineſſe debet fluiditate recedentibus facile accidit, ut particularum tenacium coitu intra canales maſſulæ grandiorum diametrorum conflentur, ſic ſanguinis, vel in ſtatu naturali conſtituti, motu æquo violentiori dilatata eorundem canalium perangusta immiſſaria corpuſcula admittunt, quæ per illorum eorumdemmet canalium longitudinem propulſa, eorum auguſtiſſimis finibus, propter exceſſum magnitudinis corpuſculorum tranſiturorum ſupra emiſſariorum capacitatem, egredi nequeunt, igitur & hac ratione canales in corporibus animan-

mantium oppleri, occludi, atque oppilari poſſunt, motusque fluidorum in iis retardari, indeque naſci diverſa morborum genera, præcipue inflammationes.

Ver hyeme conſtantior erat, characterem tamen febrium inflammatoriarum non multum immutavit; ſed & ſimul exanthemata, tum petechiæ, tum miliaria, brumali tempore rariſſime viſa, cum febribus catharrhalibus dictis denuo emicuerunt.

Æſtas ſequebatur ſat fervida; initium Julii intenſe calidum erat, ſextus habebat calorem vix tolerabilem, thermometrum notabat 85^{tum} gradum, aucto deinceps calore, æſtuque ſumme urgente circa 25. Julii thermometrum attingebat 90. gradum, arborum folia hinc inde cadebant emarcida, prata antehac læte virentia, humido deſtituta exſucca, & arida reddebantur. Jam febres inflammatoriæ valedicebant, ſed locum ampliorem morbis autumnalibus, quorum quaſi epocha hic menſis eſt, faceſſebant: finienti Julio tanquam comites ſeſe adjunxerant febres continuæ remittentes, nunc cum, nunc ſine exanthemate, intermittentes, variolæ,

diarhææ, dyſenteriæ &c. qui morbi, cum ſatis mites, neque mali moris per id temporis fuerint, paucos jugulabant, determinatu tamen erat perdifficile, qui nam morbus præpolleret.

Initium Septembris frigidiuſculum fuit, multæ cadebant pluviæ, reliquum menſis placidum ac tepens erat, æſtatique ſimillimum.

Adoleſcens autumnus pluviis, ventisque frigidis infeſtus erat, hinc morbi inflammatorii ut anginæ, pleuritides, peripneumoniæ aliquo tempore exules denuo in orbem rediere.

Clauſerunt annum denſiſſimæ nebulæ, catarrhis occaſionem, materiemque ſuppeditantes. Atque hæ erant rerum vices hoc anno.

Numquid ex dictis hucusque pulcherrime intelligitur variorum morborum variis anni temporibus dominantium origo? Quocirca cum obſervantibus viris antiquis, maximeque Hippocrate, & anni temporibus & maximis tempeſtatum varietatibus, cœlique mutationibus magna vis inſit ad diverſa genera ægritudinum facienda, nemo inficias ibit, manifeſtarum aëris qualitatum obſerva-

ſervationem ad perquirendas ſaltem evidentes morborum cauſas maximopere eſſe neceſſarias.

Cum autem febres acutæ e genere inflammatoriarum hoc anno principatum tenuerint, ab his telam ordiri conſtitui.

Hiſtoria febris inflammatoriæ.

Nomine febrium inflammatoriarum illas complector, quando per cauſas prægreſſas humores ita degenerant a ſtatu naturali, ut tenacitatem induant phlogiſticam. Hæ dividi poſſunt in benignas & malignas.

Benignæ vocantur quæ & conſuetis ſtipantur ſymptomatis, & conſuetis cedunt remediis.

Malignæ dicuntur, quas inſolita ſymptomata, eaque prava comitantur, quas conſueta auxilia imo & multa alia inſueta nedum non levant, ſed potius exaſperant, quæque demum multos perimunt. Frequentes admodum hoc anno vidi benignas, malignas longe rarius intueri licuit.

Adoriebantur autem cum frigore aut horripilationibus cum calore alternan-

tibus, quæ ſæpius de die repetebant, ita ut ægri ſtragulis contecti mox valide rubeſcerent, & incaleſcerent: his vero remotis de frigoris moleſta ſenſatione conquererentur, accedebat ſitis quandoque intenſa, calor ad attactum urens, dolor capitis ſævus, membrorum laſſitudo, ſiccitas cutis, alvus conſtipata, arteria dura & tenſa, veluti baculus rigidus per hanc moveretur, reſpiratio cita & ſolito difficilior, rubor faciei & oculorum, deliria, urina ruberrima.

Gravior longe erat morbus, dum ſtatim ab initio accedebant animi deliquia, pulſus intermittens, & inordinatus, inquietudo ſumma, calor ad attactum mordax, diarrhæa, urina flammea, linguæ ariditas ſumma, ſitis inexplebilis, dolor circa ſcrobiculum cordis. Hoc ultimum Symptoma peculiare erat huic febri, eo quod complures de dolore ſatis acerbo in ſcrobiculo cordis conquerebantur; quidam vero hoc dolore non tantopere affligebantur, attactum tamen vix tulerunt; multi manu admota oſtendebant regionem ſub ſterno ad cartilaginem ξυφοειδῆ, doloremque quem digitis contrectati ſentiebant, vultu teſtabantur. Neu-

Neutiquam vero auſim determinare, quænam pars, aut qua ratione fuerit affecta? an forte circa ventriculi regionem dolorem perſentiſcebant ex craſſioribus, & digeſtioni reſiſtentibus eduliis, quibus conficiendis plurimum, & quidem fruſtra inſudavit ventriculus? an ibi enaſcens inflammatio eundem procreavit? quod tamen anatome non demonſtravit. Interim veriſſimum eſt, plures hac febre affectos, aut de hoc dolore conqueſtos fuiſſe, aut contrectatos ejusdem ſigna dediſſe.

Infeſtabat hæc febris præcipue ſanguineos, juniores, vel & ætate conſiſtentes, robuſtiores, exercitatos, illoſque qui aeris injuriis maxime expoſiti erant, ut milites in excubiis, hinc tanta militum copia hac febre affecta in Noſocomio decumbebat.

Qui mitius ægrotabant, 7mo aut 14to judicati ſunt, qui gravius 17. aut 20. rarius ſuos ultra produxit limites, ſi illos exceperis, quibus non tempeſtive, aut recte inſtituta fuit curatio, & queis poſt imperfectam criſim ejus febris reverſio diuturnitatem peperit.

Cum vero in morbis acutis ſcitu per-

utile ſit medico, quibus viis eæ fugam capeſſant aut per quas evacuationes ſalutariter ſeſe expediant, intentus in hanc rem illud obſervare potui; has febres inflammatorias raro diarrhæa, rarius urinæ profluvio, frequentiſſime vero hæmorrhagia narium, aut largis ſudoribus vel juncta utraque evacuatione ſolutas fuiſſe; inde emanat conſtans & irrefragabilis regula practica: in inflammatoriis ſudore κρισιμῶς judicatis pluries, & ſe addit hæmorrhagia.

Quod diarrhæam attinet, non niſi pauci erant, quibus materia morboſa per alvum cum euphoria exturbabatur; dum illa recolligo, quæ hoc anno literis mandaveram, non pluries, quam ſepties hanc evacuationem ſalutarem fuiſſe lego, quo urina copioſa, craſſa ſimul profluens etiam ſuam contulerat opem: haud equidem ignoro, morbos ſat graves, & periculoſos inflammatorios per ſolam diarrhæam ſanari poſſe, ſic Peripneumoniam Pleuritidem &c. Hac criſi perfecte curatas fuiſſe legimus apud autores, interim hanc febrem inflammatoriam, de qua impræſentiarum ſermo eſt, raro abitum quæſiviſſe, alvo liqui-

liquida fluente, tantum affirmare ſuſtineo ex multiplici, quam feci, obſervatione. An ergo natura variat in eliminanda materia morboſa pro varia corporis diſpoſitione, morbi genio & indole, annique diverſitate.

An hoc anno proclivior erat, ut ſeſe febres potiſſimum ſudoribus aut hæmorrhagia expedirent? ita ſane videtur.

Per urinæ vias materialem morbi cauſam æque expelli e corpore, quam per diarrhæam indubitatum eſt, hac tamen differentia, quod ſola urinæ excretio in morbis gravioribus vix unquam ſufficere videatur, interim febres leviores concocta phlogoſi cum ſanguine fluente per urinam craſſam & copioſam ſanatas eſſe, non ſemel, ſed ſæpius vidi. De his legi merentur Illuſtriſſ. Baron. commentarii cap. de febribus in genere.

§. 594.

Hæmorrhagiam narium in morbis acutis inflammatoriis ſalutarem admodum eſſe, jam antiquitas veneranda nos docuit, vixque exſtitit medicus ab Hippocratis temporibus ad noſtra uſque, qui hujus evacuationis non meminiſſet; de illis autem ſignis, quæ ſalutarem ta-

lem

lem hæmorrhagiam narium prædicere ſolent, conſuli debet Illuſtriſſ. Boerhaavii commentator cap. de febri ardente, ubi ſimul mentio fit, quando hæc ex pulſu dicroto præſagiri poſſit, non adeo facile videtur juniori medico hunc pulſum detegere, futuramque augurari hæmorrhagiam, ſagaci, multumque exercitato opus eſt: mihi ſaltem inter numeroſos ægros, & inter frequentes narium hæmorrhagias, hanc bis ſolummodo præſagire contigit.

Id tamen fateri debeo, hanc evacuationem ſolam infidam ſæpius fuiſſe, etenim 7mo die ſatis larga licet fuerit & febrim, & omnia hanc concomitantia Symptomata quantocius abſtulerit, tamen frequenter ejusdem febris reverſionem exſpectare oportebat. Hinc Illuſtris de Haen part. 5. ration. medendi cap. 1mo ex caſu enarrato ita ſapientiſſime ratiocinatur: *toties ad lectos ægrorum advertimus, perfectam non haberi judicio jam facto, certitudinem morbi ita devicti; ut non fiat recidiva. Equidem, quo omnes functiones perfectius, celeriusque reſtituuntur in integrum: quo motus critici diebus judicatoriis exactius fiunt: quo denique*

eva-

evacuationes perfectiores constantioresque cum virium incremento contingunt: eo minor metus adest relapsus. At vero hucusque non habetur ejusmodi certitudo, quæ excludat omnem omnino relapsus formidinem. Videmus sane & in hac muliere, cujus casum ibidem recenset, *& in pluribus aliis, nihil judicio defuisse, attamen iisdem successisse relapsum.*

Ex pluribus, quos notavi casus, unicum in dictorum confirmationem adferre libet. Miles 32. annor. die 3. Januarii 1760. corripitur frigore valido, cum insequente calore, languore summo, dolore capitis intenso, siti multa, pectore anxio, tussi pauca & sicca, pulsus erat celer & durus, 2. & 3. morbi die vena tunditur, detrahunturque unciæ decem sanguinis, paulo post crusta lardacea obducti, 4. morbi die iisdem symptomatis continuantibus mittitur eadem quantitas sanguinis, non adeo phlogistici. 5. Melius paululum valuit, lingua humescebat, sitis non tantopere urgebat, pulsus celer quidem, vix tamen durus erat, respiratio liberior, dormivit parum. 6. Anxius erat, respirabat solito difficilius, attamen sine dolore, hypochondria tensa habebat,

pa-

parum dolentia, facies multum rubebat, oculos gerebat turbidos, alvum non posuit, urina rubicunda & cruda erat, tussis vix ulla, pulsus duriusculus & dicrotus. 7. Die oborta sat larga hæmorrhagia narium ex integro sanatus videbatur, appetitus redibat, sitis erat nulla, pulsus & respiratio sana deprehendebantur.

Die 11. post leves horripilationes recruduit eadem febris inflammatoria, cum recensitis antea signis, multumque conquerebatur de dolore partium, quæ cordis scrobiculo subjacent, delirabat in somno, denuo sanguis mitti debuit, qui æque phlogisticus ac densus, uti prior fuit, hinc postero die iterari debebat, cum vero pulsus suam deponeret renitentiam, nec ullum aliud grave symptoma ulteriorem V. S. suaderet, ab hac manum abstinui, curamque solis antiphlogisticis moliebar.

14. Morbi die hæmorrhagia narium copiosa iterum superveniens, & ægrum febre, & iterata recidiva liberavit.

Contigit mihi aliquoties videre, quod tanta fieret cruoris profusio per nares, ut ægri in haud leve discrimen vitæ conjicerentur. Mili-

Militem 28. annorum curabam, quem die 10. Januarii febris acuta inflammatoria prehenderat: ſanum ante hac & robuſtum prædicta adoriuntur ſymptomata, cumque reſpiratio eſſet celeris, pulſus durus & frequens, detraxi illico uncias decem ſanguinis, cruſta ſpiſſiſſima tecti, hancque repetii ad tertiam uſque vicem, ut ſcilicet febris impetum ſufflaminarem, juſſique ſtrenuo pergeret in uſu antiphlogiſticorum. 6. Die furioſe delirare cœpit, quod delirium perduravit ad nonam uſque diem, quo oriebatur hæmorrhagia narium, quandoque ceſſans, denuo recrudeſcens, tandem eo uſque perdurans, ut viribus jam fractum certo certius enecuiſſet, niſi omnia, quæ in ſimili caſu ars fieri jubebat, in opem vocata fuiſſent: poſt tantam vitalis liquidi jacturam æger exhauſtus, diu languebat, cruribus, facie, univerſoque corpore tumere cœpit, unde tamen adhibitis idoneis medicamentis perfecte convaluit.

Bina hæc infidæ criſeos exempla vel ideo notari merentur, ut præſentibus licet criticis evacuationibus in præſagiendo morbi exitu, tamen cauti reddamur.

Plu-

Plurimi omnium largo ſudore incolumitatem recuperarunt, hic autem ſudor ſponte prorumpebat, prævia nempe concoctione partis phlogiſticæ in ſanguine latitantis, diebus decretoriis contingebat per univerſam corporis ſuperficiem calidus, copioſus ſub pulſu undoſo ac molli manabat, non tamen nimius, neque interceptus, ægroti temperamento correſpondebat, penitusque morbo, vel plurimum liberabat; Tales vero ſudores fuiſſe frequentiſſimos in hac febri inflammatoria, fidenter affirmare poſſum, cum toties per hanc evacuationem ſalutem rediiſſe notaverim, quoties a cæteris id neutiquam obſervaveram. *An* non exinde regula ſequens tanquam certiſſima deduci poteſt? per ſudores in febribus acutis ac inflammatoriis optima fit criſis.

Hanc regulam in pluribus quam triginta ægris confirmatam vidi, notavi. Mirabar ſæpe numero, quod veſpera quæ criſim præcedebat, meos ægros multum febricitare deprehenderem, ſequente aurora jam ſine febre, & ſanos degere: ſed & ſimul animadvertebam, pulſum antehac durum jam jam molleſ-

cere,

cere, cruorem undæ inſtar per arterias ferri, cutim calidam, laxam, madidam, vaporem emittere quemdam tepidum, qui antea non fuit; ſtantibus his, ægri ſpontaneo motu ſeſe ſtragulis bene tegebant, & dum manum exſerere cogebantur medico pulſum exploranti, moleſtam horripilationem, cito autem evanidam, mox incidere querebantur; alvum tunc plerumque habebant occluſam, urinam paucam, & tum demum ſecuta eſt prolixa diaphoreſis, quæ infirmum extra periculi aleam omnino conſtituit.

Interim periculoſiſſimum ſemper erat ſudores cardiacis, aut calido regimine provocare: peſſimus certe mos obtinet inter medicos, febrium acutarum curam per ſudorifera præſertim calidiora auſpicari; profecto ſic oleum affunditur igni, magis incenditur ſanguis, diluens ejus vehiculum diſſipatur, inſpiſſantur reliqua, atque in molem condenſantur irreſolubilem, verbo: omnia turbantur in morbis.

Hac igitur agendi ratione fruſtra gliſcenti febri obicem ponere nitimur, fruſtra morbi cauſam temporius extermi-

nare ſatagimus, halucinamur; dum ſimilia credimus, peſſime erramus, dum a naturæ ſemita temere deflectimus, quippe ubi cauſam morbificam crudam adhuc, & in concoctam expellere aggredimur, metus eſt, ne morbum alias natura ſua leviſſimum, & facile ſanabilem, in exitialem transformemus, quemque ſervare volumus ægrum, ſudoribus importune extortis letho infauſte tradamus. Nullibi autem creditur hæc methodus majori ſpecie veri tentari poſſe, quam in illis morbis ubi exanthemata aut in procinctu ſtare creduntur, aut horum futurorum inanis adeſt ſuſpicio: Sed jam demonſtravit Clariſſ. de Haen in pulcherrimo tractatu de febrium diviſionibus, quam raro in acutis critica ſint exanthemata, quam frequenter vero ſymptomatica, invictisque argumentis, æque ac rerum experimentis, quam maxime damnoſam eſſe hanc medendi methodum, atque exanthemata frequentius mala arte progigni, ſponte longe rarius evicit.

Me-

Methodus medendi.

Ex causis ante hac adductis, ex symptomatibus concomitantibus, ex conditione denique sanguinis detracti perquam facile est eruere indicationes, quibus medicus satisfacere debebat, ut febrim hanc inflammatoriam eo certius superaret. Etenim motus humorum exorbitans erat refrænandus: spissum phlogisticum attenuandum: & symptomatis intempestivis obviam eundum. Hinc patet illico necessitas V. sectionis, ejusdemque iteratæ. Quanta præstet V. S. in morbis acutis, præcipue in morbis inflammatoriis, nemo ignorare potest, qui vel levissime in praxi animum adverterit, minuit copiam humorum; furiose a tergo urgentis sanguinis impetum refrænat: calorem temperat: vires cordis infringit: dolores sopit: resolutioni densitatis phlogisticæ summopere favet: motum denique celeriorem reddit pacatum, adeoque in morbis acutis vel ab ipso medicinæ exortu adhibebatur.

Tales enim acuti a sanguinis abundantia & spissitudine concitantur, quæ

in partibus quibusdam, vel toto corpore inflammationem producit, cui phlebotomia præsentissimum est remedium, eaque eo citius administranda, quo pars affecta nobilior, & magis membranacea est. Sic Hippocrates Libro 3. de morbis inquit: *cum pulmo tumuerit repletus, quam citissime clystere adhibito probe purgare oportet, & de cubitis, de naso, & lingua, ac de omni corporis parte sanguinem dimittere.* Repleri nimio calore nihil significat aliud, ac esse inflammatum præ copia & densitate sanguinis. Eodem lib. Hippocrates in Angina venas sub lingua secari jubet, & in cubitis, si vires validæ fuerint. Cum itaque hi morbi a sanguine phlogistico originem ducant, optime eos V. S. tollet.

Attamen ut tanto morbo perdomando suppar foret remedium V. sectio, hæc frequenter & copiose celebrari debebat, ut videlicet spissus adeo humor magna saltem ex parte evacuaretur; necdum mihi innotuit, vel minimum damni a tam larga sanguinis, ut quibusdam videri potest, detractione cuique fuisse illatum.

Id fateri debeo palam penituisse me nun-

nunquam V. ſectionis repetitæ, ejusdem vero neglectæ aliquoties, dum paucis diebus poſt ſigna ſuppurationis futuræ manifeſto apparebant, ſpemque omnem ſervandi ægri adimebant.

Novi quidem bene, dari medicos, qui largas, frequentesque phlebotomias admodum improbant; his reſpondere debeo primo: quemadmodum certum tempus aſſignari vix poteſt, quo in morbis ſanguinis miſſio celebrari debeat, cum nullo non tempore eam in certis fieri poſſe Galenus optime adnotarit, quin ſubin morbo adeo provecto ab Illuſtriſſ. Barone van Swieten adminiſtrata fuit cum ſucceſſu lætiſſimo, ut ignarus quispiam obſtupeſceret: ita pariter certa menſura & copia ſanguinis detrahendi ſtatui nequit, cum hæc quoque immenſum ſæpe variare debeat, pro ratione morbi, ætatis, conſuetudinis, regionis, vitæ &c.

Secundo: res mihi plerumque erat cum hominibus fortibus robuſtis ætate conſiſtentibus, & exercitatis, tempeſtatum viciſſitudinibus vel maxime expoſitis.

Tertio: In ſchola Boerhaviana edu-

catus, ejusdemque principiis enutritus, illud ſæpe numero auribus hauſi, eouſque pergendum eſſe in V. ſectione, donec ſtatus inflammatorius præterierit, quod ex conditione pulſus, ex reſpiratione emendata, ex doloris, caloris, reliquorumque Symptomatum diminutione, denique ex. qualitate ſanguinis educti facile concludere licet. Neque ſane intelligo, qua ratione magnæ famæ medici contra copioſas V. S. adeo debachati fuerint, dum tamen praxis clinica rei veritatem quotidie demonſtrat: non enim quæ prodeunt multitudine ſunt æſtimanda, ſed quæ, & qualia prodeant, & an æger facile ferat videndum. Miſſis reliquis omnibus, unius viri, qui pluribus ſcriptis hoc noſtro ſæculo jam inclaruit, de repetito V. S. uſu in morbis inflammatoriis, ſententiam expendere juvat.

Incidit nuper in manus meas diſſertatio de febribus bilioſis, ſeu hiſtoria epidemiæ bilioſæ Lauſanenſis a Celeberrimo Tiſſot conſcripta, qui poſtquam egregia contra uſum frequentiorem V. S. in febribus bilioſis putridis attuliſſet, illaque tum aliorum, tum propriis obſer-

vatis

vatis confirmasset, in fine sequentia subnectit: *In ipsis morbis inflammatoriis, post unam alteramve V. S. tertiam ad summum, quid quid sanguinis ultra auffertur, morbum plerumque incurabilem efficit, omnis præpeditur resolutio, æquilibrio inter solida & fluida destructo, turbatur prorsus circulatio, omnis impetus ad partem ægram dirigitur: augetur stagnatio phlogistica, & impingitur pro ratione sanguinis ultra æquam quantitatem educti, vel demum si adhuc pergitur, & pergitur sæpius, pauxillum sanguinis rubri remanens, in majoribus circulat vasis, demum in minoribus perfecta generatur stasis, oritur in morbo inflammatorio gangræna ex debilitate, brevi mors sequitur. Non desunt viæ, quæ omissæ phlebotomiæ locum teneant, & nisi urgeret aliquoties casus, semper tuto omitti posset.* Tandem in hæc verba erumpit: *nec nugas cano, obloquantur, quidquid innumeri*, sed veritates quas demonstrat *theoria, & quod lugendum, quotidiana praxis.*

Quod enunciatum celeberrimi viri merito in dubium vocari potest, non quod nobilissimi, ac eruditissimi viri famam longe lateque diffusam extenuarem, sed ut rei veritas, a qua pendet salus proximi, accuratius enucleetur,

intereſſe mei, quoniam de hac re occaſio admonuit, exiſtimavi hancce animadverſionem nonnihil diſquirere.

Antequam ad rem ipſam propius accedam, præmonere debeo, me hic loci tantum agere de febri inflammatoria in genere ſepoſita omni quacunque epidemica conſtitutione, in qua morbi acuti repetitam ſæpe numero V. S. non tulerunt. Sic meminit Sydenhamus Pleuritidis adeo malignæ, quæ per eos annos phlebotomiam fere neſciebat, ſaltem toties repetitam, quoties hic morbus communiter eamdem depoſcit; Celeberrimo Schenkio obſervata eſt peripneumonia, a qua plures evaſere, quibus Venæ ſectæ non ſunt, quam quibus ſectæ fuerunt.

His ita præſuppoſitis facile patet, quo fundamento innitantur illa, quæ paulo ante, contra crebriores V. S. in morbis inflammatoriis allata ſunt, dum theoria æque ac praxis quotidiana non ternas, ſed frequentiores longe V. Sectiones ſuadet, imo imperat.

Quod obſecro melius cardiacum in hiſce febribus ad vires dilabentes fulciendas, excogitari poteſt? quam ipſa

V. S.

V. S. eaque repetita, præſertim, dum in his morbis a plenitudine, denſitateque cruoris quaſi ſuffocatæ jacent: quid reſolutionem phlogoſeos tantopere expetendam magis promovet, quam dum copia imminuta, vaſorum antehac inertium robur in liquida augetur, ſicque optime attenuatio & diviſio molecularum cohærentium perficitur, quippe motu oſcillatorio reſtituto craſſiora noſtri ſanguinis velut comminui, diſtringique neceſſe eſt; hac igitur ratione æquilibrium, quod inter ſolida & fluida in ſtatu ſano obtinet, & quod ob molem movendorum, vaſaque diſtracta ſublatum fuit, denuo reſtituitur; denique & impetus a tergo ſanguinis aliorſum derivatur, ſtagnatio ulterior impeditur, diluentibus, & attenuantibus remediis, locus, & facilior miſcela paratur, & peſſimi alias futuri effectus præcaventur.

Quid quod ipſa natura cujus miniſtri ſunt medici, easdem plane molitur ſanguinis evacuationes, in morbis acutis, dum rupta, vel per anaſtomoſim dilatata arteria ſanguinem per nares co-

piose profundit, sicque febrim quasi uno momento jugulat.

Neque hucusque innotuerunt viæ, quibus per artem tutius sanguis educi posset, quam incisis venis; non enim purgantia, sudorifera, emetica, aut diuretica in locum V. sectionis succenturiata eundem scopum, quem V. S. ferire potuerunt, adeo, ut perspicue palam sit, V. S. in morbis inflammatoriis utilissimam, simulque præsidium vel maxime necessarium esse.

Consideravi hactenus theoretice, quantum phlebotomia & quidem repetita in morbis acutis inflammatoriis prosit, quædam hic practice subjungere libet.

Non semel, sed frequentissime observavi, ter, quaterve phlebotomiam semper ad uncias decem celebratam, febrim exorbitantem, ne quidem debitos intra limites reduxisse, minus adhuc compescuisse, testes appello illos, qui docta curiositate impulsi ægros videndi, meum nosocomium aliquoties frequentarunt, ex me audientes, huic vel illi ægro quinquies aut sexies venam fuisse apertam, febrem nihilominus pertinaciter

citer vigere, pulſum adeo plenum & durum exiſtere, quaſi ſanguine nunquam mulctati fuiſſent, una mecum demirabantur. Fateor, me in principio dubium admodum, ancipitemque hæſiſſe, dum poſt quartam V. S. de ulteriori adhuc agebatur, sed audaciorem reddidere fortunati ſucceſſus, exempla magnorum in arte virorum, conſilia Illuſtriſſimi Præſidis.

Binos habui milites, quorum unus 23. alter 29. agebat annum, uterque hac febre inflammatoria graviter decumbebat, quinque V. S. jam adhibitæ vim morbi neutiquam infringebant, in medicamentis antiphlogiſticis ſtudioſe pergendum eſſe ſtatuebam, attentus interim, quomodo natura hoc negotium abſolveret, unde paulo poſt factum, ut unus 7. die per largiſſimam hæmorrhagiam narium ſupervenientem perfecte judicaretur, alter diu cum morbo luctatus, tribus vicibus hæmorrhagiam patiebatur, unam 9. alteram 12. tertiam 14. morbi die, qua perinde ac primus, verum tardius convaluit.

His viſis, pronum erat concludere, febrim hanc inflammatoriam non niſi

in-

ingenti jactura ſanguinis debellari poſſe, quare & ægris meis, ſi neceſſitas urgeret, viresque permitterent, ſexies, octies, imo & novies ſanguinem detrahere non dubitavi, idque tanto præſtiti cum ſucceſſu, ut vix unus vel alter illorum mihi deſideraretur, qui tantam ſanguinis jacturam ſubierunt: non ficta loquor, ſed vera, quæque uſu & experientia didici, ſcribo, milites illi, qui huic agendi modo vitam in acceptis referre debent, chirurgi noſocomii, qui iterato venam ſecabant, cuilibet dubitanti rei geſtæ veritatem facile confirmabunt.

Quæ cum ita ſint, nemo rationis capax jure in his morbis vituperare frequentiorem ſanguinis miſſionem poteſt, ſed mirifice, & tanquam certum auxilium commendare, extollere, & confidenter uſurpare.

Optimus mei noſocomii Chirurgus Carolus Hoffman 36. annorum, pectore minus firmo præditus, macilentus & pallidus, viciſſitudines aeris nunc frigidi, nunc calidi multum expertus, catarrho affligitur, tuſſis multa & irrita, gravitas capitis, appetitus abolitus ſeſe

ad-

adjungunt: pectoralibus assumptis ex ol. amygdal. dul. Syr. diacod. Stib. diaphor non ablut. & potu theiformi sputa glutinosa incipit extundere, cum aliquo, sed exiguo levamine, febris cum quoque subreperet, V. S. detrahuntur unciæ octo sanguinis spissi, phlogistici, unde multum levabatur, tussis minuebatur, sputa facilius prodibant, appetitu tamen manente adiaphoro. Atque hæc sunt anamnestica.

Per decem circiter dies belle utcunque habentem frequentes adoriuntur horrores, quibus succedit calor, quandoque intensus, nunc levior, horroribus interstinctus, dolor capitis, sitis vehemens, somni turbulenti, anxietas, febris acuta continua, pulsus durus, respiratio laboriosa, calor ad attactum urens, dolorque circa scrobiculum cordis, tussis multa & vehemens, sputum glutinosum cum difficultate rejectum, vim morbi augere videbantur.

2. Morbi die Vena illi tunditur, cruor emissus cito induitur crusta lardacea, symptomatibus eodem modo perseverantibus.

3. De-

3. Denuo mittitur priori similis ad uncias circiter octo, nam instans animi deliquium, sudor gelidus faciem occupans, pulsus contractio, largiorem vetabant, symptomatibus vero haud imminutis, pulsu duro, valido continuante.

4. Die V. S. repetendam esse enixe contendo, asserens: hoc unicum duntaxat superesse auxilium, quod ægrum in sicco colocare posset. Cum vero & æger metu lipothymiæ adfuturæ, ejusque chara uxor, nimiam mariti debilitatem verita, pertinaciter contranitenentur, consultum fore judicavi, consilio convocato, de ulterioribus agendis esse deliberandum. Ad hoc negocium Magnificus Dominus de Fezer, Clariss. & Magnif. de Haen invitabantur, qui viribus ægri bene pensitatis, symptomatibus accurate ut solent, trutinatis, V. S. denuo ad uncias X. coram repetendam esse volunt, monebant simul, viri ingenio, doctrina, praxi illustres, eandem copiam sequenti die esse detrahendam, imo stantibus iisdem symptomatibus, necessitateque urgente, hanc aliquoties adhuc iterari posse, diserte affir-

affirmabant. Quare circa finem 4. diei unc. viij. Sanguinis admodum spissi & phlogistici iterum detrahuntur, simul ol. amyg. cum Syr. diacod. permistum vesperi sumendum propinatur, paulo post purgari incipit æger, & quidem octies, fœces erant fuscæ, liquidæ, multum fœtentes, sæpius patiebatur animi deliquia, sudor frigidus guttatim frontem & faciem tegebat, pulsus quandoque vix non evanescebat sub tangentis manu, dolor circa scrobiculum cordis intensus, facies collapsa pallida, tum applicatum est Clysma ex unc. vj. lactis & unc. ij Syrup papaver. alb. inde diarrhæa conquievit, ita, ut integra nocte non nisi bis alvum deponeret, dormivit autem parum, & quidem somno interrupto, obscure deliravit, tendines nonnunquam subsiliebant, post mediam noctem pulsus iterum constantior, sed durior & celerior, animi deliquia nulla; sic noctem 4. diei transegit.

Illucescente die 5. denuo purgari cœpit, posuit alvum liquidam, admodum fætidam tribus vicibus, urinam reddidit hora tertia matutina flammeam, cum nubecula fundum petente, tussis fuit mi-

tior

tior quam alias, glutinoſa nonnunquam extundebat, ſed cruda, bis amara vomuit, dolores circa cordis ſcrobiculum nonnihil mitigati ſunt, pulſus tamen duritiem ſuam non depoſuit, hinc denuo V. S. ad unc. vij. inſtituitur, ſanguis gerebat tenuiorem longe cruſtam; ab hac V. S. pulſus renitentiam ſuam omnino depoſuit, animi deliquia rariſſime accedebant, dolor in ſcrobiculo cordis vix non conticeſcebat, urina rubicunda quidem erat, ſed mox nubem ad fundum ponebat, ſitis non tanta, calor remiſſior, anxietas vix ulla, reſpiratio ſat libera, verbo: omnia in melius vertebantur, ſpemque ſalutis recuperandæ haud exiguam faciebant

6. Jam erat pulſus æqualis, ſed parvus & naturali celerior, reſpiratio bona, tuſſis multa, ſputum magis coctum & facile, alvus obſtipata, adeoque Clyſmate ſollicitanda, nox tamen inquieta; ſomnus non multus.

7. Sudavit multum, quater dejecit per alvum, tuſſi ſputa magis cocta prodibant, ſomnus tamen nec de die, nec de nocte obrepebat, hinc emulſione paregorica, aliisque ut poſtea patebit, invitabatur.

8. Me-

8. Melius habuit, ſitis fere nulla, pulſus naturali parum celerior, reſpiratio bona, ſomnus paucus, ſed tranquillius.

9. Alvum bis poſuit, urinam reddidit ſanorum ſimilem, ſed dimidia hora poſt turbidam factam, quæ non diu poſt dimiſit ſedimen leve, æquale, albicans.

10. & 11. die eadem prorſus continuarunt, ſomnus quoque largior.

12. Sumpſit purgans ex mann. fol. Senn. & cryſt. ♀ri paratum, unde decies movebatur, appetitus quoque redire incipiebat, ſicque pedetentim priſtinæ ſanitati reſtituebatur.

Si itaque in debili adeo corpore V. S. quinquies inſtituta adjumento fuit, quid ergo dicam de robuſtis, fortibus athletico habitu præditis? idcirco jam monuit Hippocrates in lib. de victu acutorum: *in acutis morbis, V. ſecabis ſi morbus vehemens appareat, & qui ægrotant, in ætatis vigore fuerint, & robur ipſis adfuerit.* Similia & Celſus jubet; dicens: *ergo vehemens febris, ubi rubet corpus, plenæque venæ tument, ſanguinis detractionem requirit*; in puerpera pleuritide correpta

C Tul-

Tulpius neceſſe habuit octies venam exſolvere, donec vinci potuerit rebellis morbus. Subit recordatio me jam aliquot abhinc annis conſuluiſſe de hac re Principem longe omnium in Theoria, graviſſimum, & acutiſſimum in praxi medica Virum L. B. van Swieten, ab eoque petiiſſe hujus dubii ſolutionem, num in morbis acutis a diatheſi phlogiſtica humorum pendentibus, poſt 4. 5tamve Sanguinis miſſionem ad ulteriorem adhuc deſcendere liceat? Præclare autem tunc reſpondit Vir ſapientiſſimus, nihil hic perpetui ſtatui poſſe, ſed omnia ſymptomatum concurſu, illorumque augmento vel decremento æſtimanda, viriumque robore cuncta eſſe dimetienda.

Porro manifeſtiſſime liquet Celeberrimum Tiſſot in tractatu de febre epidemica Lauſanenſi menſuram, copiam, proportionem ſanguinis mittendi in morbis inflammatoriis minus recte determinaſſe, dum tertiam V. S. ad ſummum tanquam terminum conſtituit.

Erunt nihilominus, qui me temeritatis aut potius imprudentiæ inſimulabunt, quod ritum ſanguinis liberalius

imi-

iminuendi tantopere defendam, atque commendem: objicient fortassis nonnulli: hoc pacto cruorem vix non omnem subduci, vires sine necessitate pessumdari, naturam eousque debilitari, ut materiæ morbificæ coquendæ, digerendæ, aut solemni more expellendæ, impar prorsus sit, adeoque hostem in mediis visceribus detineri, morbum sine ratione protrahi in longitudinem, ægrum denique in languorem conjici immedicabilem. Paucis hac agendi norma omnia susque deque verti in morbis, quod si vero præter spem quis eluctetur, illum quidem morbi præsentis, non tamen perversæ medicationis, & inde resultantium morborum chronicorum periculum evadere.

Sunt hi omnes effectus, ubi præter jus fasque vena pertusa fuit, neque a phlebotomia ex indicatione sæpius & oportune administrata unquam talia profecta fuisse memini; quidquid enim in hoc negotio præstare possumus, id totum eo redit, ut ex effectu resultante, quem per experimenta & observationes institutas cognitum, compertum-

que habemus, concludamus ad eruendam veritatem.

Jamque fidem appello omnium medicorum, num quis eorum phlebotomiam larga manu, ac repetitis vicibus celebratam morbo inflammatorio laborantibus funeftam fuiffe unquam animadverterit, aut faltem fequelas mox allatas obfervaverit, quin imo tantum abeft, ut fe exinde deterius habuiffe quererentur ægrotantes, ut potius quantum fpiffi & phlogiftici humoris per V.S. deceffiffet, tantumdem novi roboris fibi acceffiffe ultra fponte faterentur. An non norunt omnes practici præmiffis licet repetitis V. fectionibus evacuationes criticas, debito tamen tempore fuiffe fecutas.

Cæterum in re adeo manifefta opus non effe videtur, ut plura argumenta convincentia adducam; quare ad alteram indicationem progrediar.

Exantlato igitur V.S. negotio tumultuque concitati fanguinis ad debitum moderamen quadantenus revocato, id mihi demum fupererat, ut fpiffum reliquum attenuarem, concretum refolverē, refrigerarem, putredini refifterem; hinc in

in propatulo eſt remedium, quod his indicationibus præprimis ſatisfacit, nitrum nempe, ſal leve valde, ſaporis ſubamareſcentis ſingularis, quod aſſumptum in corpus humanum facile ſolvitur, mire refrigerat, ſanguinem attenuat, impetum retundit, partes animalium humidas, ſolidaſve condit, & a putredine prohibet. Unde in omni morbo inflammatorio una cum denſitate phlogiſtica ſanguinis, eſt ſal attenuans optimus, nimia acrimonia nequaquam lædens, nimio pondere nequaquam noxius, ſitim nimis haud excitans, alcaleſcentiam ſalis humani, putrefactionem olei ejusdem certo & fortunato impediens, hinc vero nomine ſal antiphlogiſticus dicendus.

Cum ſal polychreſtus, lapis prunellæ, arcanum duplicatum ejusdem ſint proſapiæ huc quoque referri merentur.

Itaque ad medelam faciendam accitus præmiſſa una vel altera V. S. ſequens mixtura crebro in uſu mihi fuit.

℞. Nitr. pur. Dr. ij.
Rob. Sambuc. unc. ij.
aq. Sambuc. unc. X.

Doſis erat omni bihorio duo cochlearia. Si gratius deſiderabatur medicamentum, unciam unam ſemis Succi Citri addebam.

Poſt meridiem ſi alvus minus accurate reſponderet, enema refrigerans injiciendum præcepi, quodque durante morbo ſæpius repetebatur, donec vis febris imminueretur, atque hoc quidem poſt ſanguinis miſſiones apprime neceſſarium eſſe multiplici experientia comperi.

Veſpertino tempore hanc vel ſimilem emulſionem plerumque ſumendam imperabam:

℞. Semin. melon. unc ſs.
amygd. dulc. excorticatarum N^ro X.
ſ. cum aqua, vel decocto hordei
l. a. emulſio,
colaturæ unciarum vj.
adde Syrup. diacod. unc. j.

Decocti alicujus uſum ægris pro libitu conceſſi, materiam ſubminiſtrabant radices variæ, ut Scorzoneræ, graminis, acetoſæ, alth. &c. hordeum, avena &c. ego vero frequentiſſime ſimpliciſſima mulſa, vel hordei decocto cum Hyppocrate utebar, cum autem per calorem

lorem liquidiſſimis diſſipatis, reliquæ ſanguinis partes magis lenteſcant, & in cohæſionem tendant, ideo addidi ſaponacea, ſolventia ut mel, oxymel, rob. ribeſiorum, vel & alios Syrupos, quibus ſcatent officinæ.

Primis tribus vel quatuor diebus utile admodum erat, ut æger balneo pedum, cui flores ſamb. infundebantur, quotidie inſideret, quo id effectum, ut lecti calore derelicto, auram caperet liberiorem, ſimulque ſitu corporis erecto, humorum verſus cerebrum ruentium impetus aliquomodo infringeretur.

Placenta aceto roſaceo madida, ter quaterve per diem aceto madefacienda, capiti admovebatur, quo tum a morbo æſtuanti gratum conciliaretur refrigerium, tum cephalalgia quandoque ſæva mitigaretur.

Tandem circa finem 4. diei epiſpaſticum plantis pedum applicari curavi, quippe his irritatis impetus humorum verſus partes inferiores revellitur, ſuperiora ſarta tectaque conſervantur; quantam autem efficaciam ſimilia habeant, in avertendis humoribus, quotidiana docent obſervata practica, ſi

acuta phrenitide laborantis pedes involvantur pasta panis cum seminibus sinapi tritis, sæpe intra paucas horas dolore & inflammatione hic ortis, levatur morbus, & resipiscere incipit æger.

In toto morbi decursu victus rationem injunxi refrigerantem, jura carnium sola pauco sale, aut cremore ♀ri condita, aut cum acetosa decocta, quandoque sufficiebant viribus sustinendis, quandoque meraciora concedere debui, ut cremorem hordei, panatellam, quæ ex jure pullorum & sacharo cum succo Limonum aut aceto parantur, gustui gratissima erant: præstantissimum etiam efficitur alimentum ex jure panis cum saccharo & modico succo limonum.

In morbi decremento plenius alere ægrum oportebat, hinc hordeum mundatum vel oryza juri carnium incocta nutrimentum reficiens præbebant, quibus si addantur fructus horæi, maturi, & olera mollissima, habetur materia victus, qui competit febricitantibus. Videantur de his Comment. Illustriss. B. van Swietten de febre in genere.

Ad eundem scopum collimat frequens aëris mutatio, quod quidem tanti est

mo-

momenti, in hoc morbi genere, ut ſi æger in cubiculi, lectique vaporibus veluti incarceratus perpetuo teneatur, neque largæ adeo Venæ ſectiones, neque alia remedia utcunque refrigerantia ad ferociam ſymptomatum perdomandam, vel minimum aliquando ſint profectura. Mirum ſane eſt, quantum admosphæra mutata ad orgaſmum ſanguinis efferveſcentis reprimendum, & æſtum febrilem temperandum valeat. Idem multoties inculcat Sydenhamus, cunctosque medicos a calido regimine dehortatur.

Hiſtoria illius caſus, quem refert de homine variolis correpto, cui paulo poſt phrenitis acceſſit, in memoriam revocari meretur, qui dum adſtantibus mortuus videbatur, ne cadaver oleret, lecto eximitur, nudus menſæ imponitur, ſicque modico hoc refrigerio ſubobſcura vitæ indicia exhibet, mox in lectum projectus reſuſcitabatur, atque ſalutem jam plane deſperatam diebus aliquot poſt conſequebatur.

Memini elapſa æſtate, menſe nempe Auguſto, in una eademque domo, in uno eodemque cubiculo decumbentes,

octo variolis detentos infantes meæ curæ fuiſſe commiſſos, unicus erat puer, reliquæ ſeptem alterius erant ſexus: omnibus variolæ regulariter prodierunt, ita tamen, ut tres ætate minores benigno admodum, diſcretoque genere laborarent, natu grandiores vero, tum cohærentia variolarum, tum reliquorum ſymptomatum numero & gravitate periculoſius decumberent: curam antiphlogiſticam omnibus adminiſtrabam, balnea pedum, lenia Clyſmata frequentius in uſum vocabam effectu haud pœnitendo, plantas pedum ſinapiſmo involvebam, liberrimam conceſſi aeris uſuram, jam omnia felicem exitum promittebant; contigit nihilominus, ut cum natu majores gravioribus conflictarentur ſymptomatibus, parentes de ſalute prolium vehementer ſolliciti, & fors peritiæ junioris Medici minus confiſi, ſuadentibus ſimul amicis, alium Medicum advocarent, qui me abſente frigidum, ut ajebat hoc regimen, quamque cepi curationem, ſi non aperte tanquam noxiam damnare, ſaltem plurimum improbare videbatur. Etenim illico fervido licet Cœlo, januas

nuas claudere, fenestras obturare, variolosos magis tegere, aëris commercium evitare jubebat, neque hic sollicitudinis meta, sed dicto regimini pulveres bezoardicos cum Comphora mistos adjecit. Rebus perinde sic mutatis, & morbi facies sat cito immutabatur, binæ natu majores incaluere magis, anxiæ admodum fiebant, somnum vix ullum capiebant, deliria ante non animadversa, jactationes, suspiria, urinæ suppressio accedebant; imo in natu maxima miliaria alba variolis hinc inde interserebantur. Parentes a morbo jamjam in pejusruente territi, 3. abhinc die me denuo accersebant, causam tantæ mutationis rogati, totum arcanum mihi candide exponunt, infirmamque sobolem meæ curæ lacrymosis oculis commendant. Cum omnia hæc symptomata justo calidiori regimini attribuerem, ad priorem medendi methodum revertendum esse monui, inque hac tamdiu esse pergendum, donec crustæ Variolarum emarcidæ factæ, & decidentes sanitatem paulo post adfuturam indicarent. Damno suo sapientiores redditi, paruere deinceps, vel

opti-

optime monitis, neque unquam poſthac ab illa via, quam meliorem, tutioremque agnorunt, abduci potuerunt. Hinc omnes octo moderato hoc regimine absque inſigni remediorum apparatu ſalvi evaſere, & in hunc usque diem illibata fruuntur ſanitate.

In Noſocomiis, ubi major confluit ægrotantium multitudo, hæc aëris renovatio haud ſatis diligenter obſervatur, dum metu refrigerii aut inani exanthematum, ſi quæ adſunt, retrocedentium formidine, januæ, feneſtræ tota die clauſæ ſervantur, omnesque rimæ ſollicite occluduntur, adeo, ut mirandum neutiquam ſit, ſi in ſimilibus locis morbi benigniſſimi in vere malignos degenerent, mitiſſimi in exitiales ſæpe numero adoleſcant.

Tertio demum ſymptomatibus aut intempeſtivis, aut vitæ periculum importantibus audacter erat obviam eundum.

Non is ſum, qui ſingulis Symptomatibus a morbo exortis, medendum eſſe cenſeam, probe gnarus, illa, quæ a morbo tanquam cauſa dependent, hoc expugnato, ſuccisa veluti radice, ſponte

te tolli, tantum id aſſero, talia ſubinde evenire in morbis phænomena, quæ ſibi relicta, ægrotanti fatalia forent, niſi medicus omni artis adminiculo quantocius opitularetur.

Inter Symptomata autem, quæ hanc febrim inflammatoriam comitabantur, opemque Medici expoſcebant, præcipue eminebant hæc tria, nempe Diarrhæa cum ipſo morbo coorta, Hæmorrhagia narium excedens, deliria furioſa.

Diarrhææ Symptomaticæ curatio.

SÆpe mecum anxie reputabam, num remedium exiſteret in ampla materia medica, quod diarrhæam a principio morbi acuti præſentem ſine motu, aut calore auctis, ſenſim & tuto debitos intra limites reduceret? Succo enim papaveris, aliisque ex opio compoſitionibus, uti Theriac. Androm. Electuar. Diaſcord. hanc protinus reprimere, res non minus ardua, quam periculoſa mihi videbatur, præſertim dum aliquoties obſervaveram, retenta ſubito alvo, per dicta opiata, ventres inflari, hypohondria attolli, febrim augeri,

geri, ægrum reddi magis anxium, diu rem volventi in mentem venit, bolus armena, terra odoris levis non ingrati, Saporis leviſſime aromatici & exſiccantis, acidum miro modo obvolutum gerens, ſed deerat experientia, quæ titubantem firmaret, noveram quidem, terræ hujus medicatæ uſum ab Illuſtriſſ. Boerhaavii commentatore Tom. I. Commentar. de morbis ab alcalino ſpontaneo ortis ſummopere deprædicari, ubi ait: *Bolus armena latente acido putredini reſiſtit, innocua lenitate, demulcet omnia: unde in Dyſenteriis putridis tantum nomen habet, modo ſatis magna copia exbibeatur, uncia emulgendo quaſi in libra aquæ diluta, dein cochleatim ſumpta pulcherrimos præſtat effectus: ubi ad pauca grana datur, nihil efficit.* Num vero in Diarrhæis Symptomaticis refrænandis tantam laudem mereretur, experiundum erat: itaque in ſimili caſu conſtitutus, ubi diarrhæam Symptomaticam ſenſim ſenſimque retinendam judicabam, ſequentis plerumque Miſturæ duo cochlearia omni bihorio propinavi:

℞. Bol. armen. unc. ſs.
Syr. Diacod. unc. j. ſs.
aqu. flor. rhæad. unc. vj.

Inter uſum hujus medicamenti aliquoties de die ſequens enema injici curavi:

℞. Lact. Vaccin. unc. vj.
Syr. papav. alb. unc. j. ß.

Ut ſcilicet materiæ acris inteſtina vellicantis, & ad frequentiorem excretionem ſtimulantis, vim tanto ſecurius conſopirem.

Atque hac agendi ratione funeſti hujus Symptomatis fere ſemper victor exſtiti neque unquam, niſi rariſſime eidem miſturæ Laud. liq. gutt. XV. aut XX. addere debui.

Hæmorrhagiæ narium curatio.

CUm hæmorrhagia narium caute mercandum eſt, ne quantocius, ubi largior fuerit ſummo cum ægri diſcrimine, & præpoſtere ſupprimatur. Alia longe res eſt, ubi limites debitos exceſſerit, aut eousque progreſſa fuerit, ut vaſis collapſis, extremis palleſcentibus, pulſus debilis parvus, & inter-

termittens fiat, vires, vitamque, nisi extemplo illi frœnum injiciatur, auferre minitetur, tunc non tantum tuto, sed illico coerceri debet.

Itaque in eo præcipue curationis scopus versabatur, ut ægro præter supra præscripta remedia refrigerantia largiores exhiberentur emulsiones, quibus major quantitas Syrupi diacod. quam mihi alias consuetum erat, addebatur, tum enema refrigerans leniensque injici, pedes vero balneo calido immergi jubebam, brachia & femora ligaturis stringebantur, solutionem Vitrioli albi in aqu. rosar. factam ægri naribus attrahebant, illisque minime exspectantibus, aquam frigidam in nucham conjiciebam, atque sic multoties fatalem alias futuram hæmorrhagiam compescui.

At vero accidit nonnunquam, ut omnia hæc molimina cassa forent, tunc id agebam: Spongiam alchoole vini madidam naribus caute, lenteque imponebam, amplam cucurbitam nuchæ admovebam, atque ægro cyathum aquæ frigidæ, dummodo id morbi genius, aut febris defervescentia permit-

teret,

teret, hauriendum propinabam. Atque hac, quam propoſui, via tuto ſemper metam attigi, habui quoque caſus, ubi ter quaterve recruduit, effræne ſymptoma, ſemper eundem inſtitui curſum, ſuffragante quidem ubique eventum felicitate.

Delirii curatio.

CUm æque a furibundo ſanguinis impetu ſuperiora urgente originem duxerit, facile patet, omnia illa, ante hac recenſita, quæ ſanguinis motum contemperando, revellendoque agunt, & hic profuiſſe, quibus ſi addantur veſicantia, tum ſuris, tum cervici applicata, habentur omnia, quæ ſymptomati huic mitigando aptiſſima fuerant. Silentio hic præterire nequeo, omnium certiſſimum ferocis delirii domitorem fuiſſe ſomnum, qui dum ſponte obrepebat, fidenter aſſeverare licebat, ægrum paulo poſt ad ſanam mentem rediturum: aut ſi arte, ut emulſionibus leniſſime paregoricis, quiete corporis & animi, locique obſcuritate irvitari poterat, eventus idem exſpectandus erat.

Enarravi hucuſque originem, cauſas, ſymptomata febris inflammatoriæ, quæ hoc anno potiſſimum dominabatur, tum morbi curationem, atque ſymptomatum adjunxi, jam ampliſſimus ſeſe panderet campus, de illis affectionibus differendi, quæ quidem ratione ſui ortus ejusdem proſapiæ eſſe videntur, ſed ratione partis affectæ peculiare nomen ſortiuntur a medicis, ut inflammatio Pulmonis *Peripneumonia*, Pleuræ *Pleuritis*, *Hepatitis*, *Angina* &c. ſed cum de his tot alii in arte præſtantiſſimi viri egerint, integra volumina conſcripſerint, pulcherrimisque obſervationibus dicta ſua illuſtraverint, ſatius eſſe judicabam, hic loci filum abrumpere, omnesque determinatæ partis morbos ſicco tranſire pede, ne jam ſcripta tantum retexere, aut plane aliorum ſcripta ineptus deſcribere videar.

Enimvero de illis ſolummodo morbis mihi agendi eſt animus, qui mihi in praxi rariores, adeoque annotatu digniores occurrebant.

Inter hos autem præcipue erat inflammatio Ventriculi, febris catarrhalis, benigna & maligna, quæ ultima ob comites

mites

mites plerumque maculas quibusdam petechialis dicitur.

Inflammatio Ventriculi, licet pertineat ad morbos determinatæ partis, quorum me non comminiſci, paulo ante promiſeram, tamen ob particularem, a qua duxit originem, cauſam, & ob ſingularem, quam ſibi vendicabat medendi methodum, hic loci commemorari meretur.

De inflammatione Ventriculi ab aëre Noſocomii exorta.

DIſceptatum ſæpe numero fuit inter illos, qui medendi ſcientiam profitentur, num ventriculus æque ac reliqua corporis viſcera inflammationi ſuſcipiendæ ſubjectus foret nec ne? quidam affirmative, quidam negative reſpondebant.

Qui hunc æque frequenter, ac reliqua corporis viſcera inflammari crediderunt, ejusdem ſitum, ſtructuram, atque haud diſſimilem vaſorum decurſum pro fundamento adſtruxerunt, qui vero contrariam tenebant ſententiam, muci, latera ventriculi undique obducen-

tis, copiam veluti caufam impedientem in medium adduxerunt.

Quidquid fit, id certiffimum effe videtur, ventriculum æque, ac reliquas corporis partes inflammationi effe obnoxium, naturam nihilominus provide egiffe, dum internos ejus parietes blanda, eaque lubrica mucagine ditaverat, ne fcilicet quotidie etiam a leviffima caufa, & frequentiffime inflammaretur, quamvis etiam fatendum fit, morbum hunc fæpius forfan occurrere in praxi, non vero probe difcriminari, ab inflammatione partium vicinarum.

Si vero ventriculi inflammationem a quacunque caufa exortam, hic defcribere anniterer, actum iterum agerem, cum ubique apud autores præcipue recentiores vivis coloribus depictus repe- riatur, tantum fert animus, hunc morbum, qualem perfrequenter in meo nofocomio obfervavi, & ob hanc caufam a me fortiebatur *morbi nofocomii* appellationem, hic leviter adumbrare.

Potiffimum aggreditur illos, qui diu multumque verfantur in nofocomio, raroque mutata fruuntur aura; idcirco cuftodes ægrorum, illique milites, qui

ob

ob plagam vel & ulcus, alias ſani, diu ibi morari coguntur, vel maxime hoc tentantur malo. Maxime vero ſævit in illos, quos animi ægritudo, uti amor patrii ſoli, derelictæ prolis continua recordatio, vitæ militaris horror, & tædium noſocomio intulere

Cauſa hujus mali videtur eſſe aër noſocomii alienis inquinatus particulis, tum reſpiratione, tum deglutitione hauſtus, non enim aliam hujus morbi originem ſollicito licet examine inſtituto hactenus detegere potui; quid enim mirum? dum cubilia ægris militibus dicata complectuntur centum triginta lectos, qui quandoque omnes pleni; varia utique occurrunt morborum genera, acute laborantium numerus nonnunquam inſignis eſt; porro certiſſime conſtat, omnia corpora exhalare, hinc aëra ſimilibus effluviis contaminari neceſſe eſt, quæ in corpus aſſumpta, ſeſe aſſimilari neutiquam patiuntur, adeoque manent cruda & acria, acredineque ſua irritant & inflammant ventriculum.

Quod hic aſſero, non adeo mirum videtur, cum inconfeſſo ſit apud omnes, dari acria in aëre, quorum acri-

monia ſenſibus quidem non detegitur, quæ tamen latente ſuo ſtimulo, vixque domabili, peſſimas inflammationes procreare poſſunt.

Jam hoc ſuboluit Sydenhamo, dum ait cap I. de morb. acut. in gener. *quosdam morbos a ſecreta, & inexplicabili aëris alteratione hominum corpora inficientis progigni, non vero a peculiari ſanguinis & humorum craſi dependere.* Et alibi ejusdem obſervata ſuadere videntur, contagium ex aëre attractum ſæpe radices quaſi figere in ventriculo, quod niſi in tempore per ſudores diſſlatum fuerit, validam ibi producere inflammationem.

Adeo malitioſum nempe eſt ſubtiliſſimi fluidi aërei virus, ut, ubicunque locorum conſederit, malignitatis ſuæ notas imprimat parti, haud raro pertimeſcendas.

Adoritur autem plerumque hic morbus cum appetitu abolito, gravitatisque ſenſu circa cordis ſcrobiculum, tum horrores accedunt vagi, quos excipiunt calor major, ſitis, Cephalalgia, verbo: febris acuta continua.

Poſtero die ſeſe jungunt faſtidium omnium alimentorum, nauſea, vomituri-

turitiones continuæ, nunc cum, nunc ſine effectu, febris major, dolor circa ſcrobiculum cordis, inquietudo, virium dejectio.

Tertio anxietates ſummæ, perpetua ſitus corporis mutatio, vomitus materiæ bilioſæ virideſcentis perpetuus exagitant, lingua humida, ſed ſordida eſt, dolor & ardor circa cordis ſcrobiculum intenſus, vel leviſſimum horrent attactum, voluptas bibendi ingens, ſed mox hauſtorum rejectio conſequitur, pulſus celer, & durus eſt, reſpiratio ratione ventriculi affecti difficilis & dolens, urinæ intenſe rubent.

Quarto eædem urgent Symptomata, niſi quod in graviore malo deliria, tendinum ſubſultus, ſomni perturbati, vel & agrypniæ tanquam cumulus ad priora accedant.

Cum his ſymptomatibus luctatur plerumque natura ad ſeptimum usque diem, quo vomitus, & febris facta benigna reſolutione remittunt, raro nonum excurrunt, vel & pertinacior affectus trucidat, dum convulſiones a doloris acerbitate obortæ (mortis genus atrox & calamitoſum) vitæ finem imponunt.

Morbus hic in ipſo exortu, id eſt 1mo. vel 2. die agnitus facile medelam recipit, ſœpe numero enim ſudorifero auſcultat. Si vero jam triduum exceſſit, difficilius longe tollitur.

Methodus medendi.

OMnium perfectiſſima foret curatio, quæ virtute immediate oppoſita cauſam tolleret; ſed ex dictis patuit morbum hunc unice deberi ſingulari aëris diatheſi, quam contraxit ex exhalationibus tot, diverſiſſimorumque ægrorum, adeoque ſpeciem hujus occultæ alterationis neutiquam determinari poſſe, hinc & clare eluceſcit, medicum, qui morbi cauſam, quam in ſuis proprietatibus ignorat, certo quodam remedio expugnare ſatagit, ſæpe numero titubare, quandoque penitus cæcutire, & niſi experientia, ceu filo ducatur, ad ſimilem morbum profligandum multoties aberrare non ſine ingenti ægrorum diſcrimine. Veterum ergo veſtigia in ſimili caſu preſſim ſequenda ſunt, qui eam ſolam methodum, quam experientia multiplex com-

pro-

probavit, tanquam tutam ad ſimilem morbum curandum adoptarunt. Fideli igitur hac duce, illud, edoctus fui, curationis ſcopum in binis verſari, vel enim illud, quod morbi fomitem conſtituebat, protinus diſſipandum erat, antequam radices ageret; vel ſtimulus ille jam fixus, morbumque augens obvolvendus.

Ut itaque prima morbi rudimenta vel in ipſo exortu ſucciderentur, ſudoriferum leue diluens, non inflammans, ægro ad lectum compoſito ſtragulisque tecto propinandum erat, ſequens plerumque exhibui:

℞. Lap. cancror.
Nitr pur.
rad. Contrajerv. a gr. X.
Camphor gr. jv.
miſc. f. pulv. pro doſi, ſuperbibendo infuſum
heder terreſt vel aliud ſimile.

Multos hac agendi ratione reſtitutos novi, vidi; mihi ipſi contigit aliquoties; dum ſolito diutius verſari cogerer in hoc aëre, quod Symptomata paulo ante recenſita lento gliſcerent pede, haudque leve futuri morbi, a me to-

ties visi & curati periculum minitarentur; sed dicto hydrotico assumpto me hucusque ab hoc mali genere salvum, sartumque præstiti.

Equis enim est medicorum, qui ignorat, diæta, abstinentia, provocatisque prudenter sudoribus, acutissimos etiam, qui jamjam imminent, morbos quandoque felicissime a nostris cervicibus propelli.

Ast ubi morbus jam fixus insignem induxit inflammationem, alia longe, eaque operosior medendi methodus requirebatur.

Primo quidem sanguinem pro ægrotantis viribus ac temperamento detrahere necesse erat, quem crusta semper contexerat dura, densaque, quarta V. S. suffecit plerumque sufflaminando morbo, & nonnisi raro frequentius celebrari debuit.

Hoc facto remedia topica erant applicanda; hinc fomentum ex herbis emollientibus ut Malv. Alt. Verbas. flor. Sambuc. regioni epigastricæ admovebatur: tum causæ agentis vis omni molimine infringenda erat, sequentia opti-

optime profuisse constanti eaque multiplici observatione comperi:

℞. Ol. amygd. dulc. rec. press. unc. ij.
Syr. Diacod. unc. j ss.

Sumat omni bihorio unum cochleare.

His adjungere oportebat decoctum meracum ex Alt. Malv. Verbasc. Syrup. ex iisdem confecto edulcoratum, quod ægris pauca, sed repetita dosi exhibendum erat.

Fuerunt nonnulli inter ægros, qui hoc decoctum omnino aversabantur, his simplex infusum ex flor. Sambuc. & papav. Rhead. non sine successu offerebatur.

Quo autem commendatiorem reddam hanc medendi methodum, casum Chirurgiæ assistentis, cognomine Kraus, ceu specimen integræ hujus praxeos hic subnectam.

Juvenis 23. annor. diu multumque inter ægros acute decumbentes versatus, anno 1759. incidit in hunc morbum, cum his Symptomatibus: leves horripilationes sæpius de die repetentes hominem adoriuntur, quibus succedit calor modo major, modo minor, nunquam tamen intensus, membrorum languor, os

ama-

amarescens, anxietas, nausea perpetua, tandem vomitus materiæ viridescentis, uri se sentit, doletque attactus circa scrobiculum cordis, pulsus ipsi est celer & durus, respiratio densa, difficilis & dolens, quam tamen non ex pectoris vitio, sed ventriculi affectu impediri multoties testabatur æger, sitis erat multa, lingua mucagine albicante obducta, oculi tristes, vomitus perpetuus &c.

Dicta medendi methodus hanc Symptomatum catervam sat cito dispulit, ægrumque paucis diebus post integræ restituit sanitati.

Idem æger die 4. Februarii 1760. ex eadem prophasi, eodem prorsus corripitur morbo, iisdem affligitur Symptomatibus: diu noctuque nausea, vomitu, siti, vigiliis cruciatur, quinto die anxius admodum jam deliravit, in fronte & vultu largo maduit sudore, tendines subsiliebant &c. Decoctum ex rad. Alt. Fol. malv. &c. non tulit, hinc in ejus locum infusum florum sambuci, cum floribus Rheados surrogari debuit, quod magna cum voluptate hausit, atque reliquis

liquis adminiculis ſimul in opem vocatis intra novem dies ſoſpes evaſit.

Porro advertendum, 1. hunc juvenem intra biennium a cauſa ſcilicet inibi perennante bis eodem morbo fuiſſe prehenſum, bisque eadem methodo liberatum, adeo, ut indubitatum videatur hanc medendi rationem in hoc morbi genere reliquis omnibus palmam præripere, prout & id in multis aliis expertus fui.

2. In morbo ſumme inflammatorio nitroſa, antiphlogiſtica tanti alias uſus, hic penitus fuiſſe prætermiſſa, ſolaque emollientia, oleoſa commendata, quippe ſedula mentis applicatione didici, hæcce remedia nocumenti plus, quam emolumenti attuliſſe. Etenim ſalino ſuo ſtimulo immediate, dum agunt in partem affectam, hanc irritant, vimque morbi inſigniter exaſperant.

Jam hoc innuit Illuſtriſſ. Boerhavii Commentator cap. de inflammatione ventriculi, ubi aſſerit, a *minimo acri irritari inflammatum ventriculum, & augeri omnia mala, ideo remedia antiphlogiſtica nitroſa, licet merito laudentur tanquam optima in curatione inflammationis vix convenire,*

vel

vel tantum adeo diluta, ut oculus non lædatur ab his instillatis.

3. Universales corporis evacuationes, quæ præstantur purgantis pharmaci, aut emetici assumptione, semper noxias, & quandoque lethiferas fuisse.

Unicum infelicis medicationis exemplum in medium afferre libet. Miles 27. annor. fortis alias & robustus, ab exercitio militari fatigatus, & sitibundus ingurgitat vini frigidi bonam quantitatem, paulo post sentit horrores, per universum corpus vagantes, calorem majorem, dolorem capitis, aliaque inchoantium febrium Symptomata. Postero die cuncta eundo crescebant, simul nausea, vomitus, angustia & ardor circa præcordia sociantur, hinc actutum vena solvitur.

3. Morbi die Symptomatibus nedum remittentibus, ingeritur ægrotanti pulvis albus, parva admodum dosi, qui haud dubie ♀ emeticus fuerit, unde octies valide vomuit, & decies novies per alvum dejecit.

4. Ingravescente licet plurimum malo auxilii inops jacuit.

5. Infertur nosocomio; pulsus ipsi debi-

debilis parvus celer eſt, reſpiratio multum impedita, ardor circa cordis Scrobiculum vehemens, nauſea continua, vomitus tamen rari, profluvium alvi continuum, ſomnus nullus aut brevis, deliriis interruptus, lingua ſicciſſima, vires omnino dejectæ.

Rebus ſic ſtantibus blanda emulſio ex ſemin. melon. Cydon. amygdal. dulc. parata ægro vita periclitanti offertur, infuſum flor. papav. rhæad. ſimul additur, veſicantia admoventur cruribus, ventriculo epithema, inteſtina enematibus emollientiſſimis foventur, ſed omnia effectu caſſa erant.

7. Die delirus & convulſus obiit.

Die 17. Septembris 1760. aperui cadaver, in quo ſequentia inveni: remotis integumentis communibus ventriculus & inteſtina tenuia magnopere diſtenta cernebantur, hinc inde lata admodum plaga, rubentia, inflammata, præcipue fundus ventriculi, & inteſtinum ileon in toto fere ſui decurſu inſignes funeſtæ inflammationis prægreſſæ notas gerebant.

Craſſa ſuam ſervabant ſtationem, Colon diametro ſua ſolito anguſtius repe-

rieba-

riebatur. Alia vero tum thoracis, tum abdominis viſcera integerrima videbantur, adeo, ut pronum eſſet concludere, emeticum imprudenter exhibitum inflammationem jam ante præſentem tantopere auxiſſe, ad inteſtina propagaſſe, citæque mortis cauſam exſtitiſſe.

Febris Catarrhalis.

AUtumno fere ad finem properante caput quoque extulit febris, quam Medici vulgo catarrhalem vocare ſolent, absque dubio a Symptomate, inter cætera, quæ hanc febrim comitantur, potiſſimum eminente, latius dominari tempore vernali, viresque ſuas intendere cœpit, ita ut multa militum manus hac febre laborans in Noſocomio decumberet.

Eadem temporis inconſtantia, eadem manifeſta aëris craſis hujus febris ingreſſui haud dubie viam ſternebat: quippe cum veris initium crebris permaduiſſet imbribus, quos frigidi poſtmodum exceperunt venti, cumque Sanguis noſter tempeſtati ſeſe accomodans, particulas crudas, atque aquoſas affa-

tim

tim inbibiſſet, tranſpiratione per cutis ſpiracula a frigoris mox iterum ſubſequentis inſultu cohibita, fieri non poterat, quin ſimiles quoque febres hac plerumque origine naſci ſolitæ, magis magisque increbreſcerent.

Cæterum cujuscunque ætatis, ſexus, victus rationis homines hæcce febris eodem anni tempore invaſit, nullos autem, vel paucos admodum peremit, & qui inde moriebantur, graviter ægrotabant. Hinc nata eſt celebris illa diſtinctio in *catarrhalem benignam & malignam*, eo quod mitiora primam ſpeciem, alteram graviora concomitarentur ſymptomata, quibus perſæpe exanthemata jungebantur. Primo de benigna, poſtea de maligna dicendum erit.

Benigna ſanos alioqui degentes homines adoritur, cum aliqua laſſitudine, artuum omnium languore, gravitate capitis, ſæpius cum his eſt Cephalalgia inſignis, moleſtus in naribus, faucibus, pectore, & lumbis ſenſus, tum reſpirandi anguſtia, ac vocis raucedo junguntur, mox horror, febris, tuſſis invaleſcunt, quæ licet per diem leviora ſint, veſperaſcente die auctis quaſi viri-

bus laceſſunt, novi tunc recurrunt horrores, quos æſtus conſequitur intenſior, ſub quo & reliqua ſymptomata plus minusve intenduntur.

Primis diebus ſicca tuſſis atque vehemens ſine ſcreatu fatigat, verum inchoato coctionis opere, ſputum redditur copioſum, lentum, viſcidum, quandoque tenue & aquoſum, donec tandem coctione ex integro facta, puriformem induat naturam, quo bene procedente tuſſis & ſpirandi difficultas plurimum remittunt.

Terminatur hæc febris benigna 4. 7. aut 9. plerumque die, rariſſime 11. aut 14. attingit, niſi prava curatione in malignam fuerit converſa.

Judicatur autem perfecte ſputo copioſo, facili, puriformi: aut ſudore critico: aut alvi fluxu: aut urina hypoſtatica.

Aliquoties etiam vidi ſcabie per univerſam corporis ſuperficiem enata, hunc morbum radicitus fuiſſe ſublatum.

Cu-

Curandi ratio.

TUtiſſima ut procederem via, has mihi duntaxat proponebam indicationes: nimirum vaſa exhalantia a frigore conſtricta reſerare oportebat, humores vero diluere & attenuare, vaſaque ſic diſponere, ut facillime illos transmittere poſſint: tum ſimul leni ſtimulo aromatico multa aqua diluto, ad blandam diaphoreſim tanti in his morbis uſus diſponere corpus. Idcirco ſequentem inſtitui curationem.

1. Cubiti venam tundebam, ſi plenitudo vaſorum, ægri juventus & vires id ſuadebant, ſæpius etiam intermittebatur, nulla nempe urgente neceſſitate.

2. Ægrum hoc morbo detentum in aëre tepido locatum volo.

3. Victum præſcribo ex ſolis carnis vitulinæ juſculis, quibus Chaereſolium cum fructu incoqui poteſt.

4. ab omni acri, ſalſo, aut indigeſtibili cibo, ab uſu denique carnium, ut abſtineant, ſerio hortor.

5. Nares, os internum, fauces, aquæ tepidæ halitu fovere jubeo.

6. Medicamenta exhibeo ſequentia:

℞. Stib. diaphor. non ablut. Dr. j.
Oximel ſcillit. Dr. vj.
Syr. quinque rad. unc. j.
Doſis omni trihor. duo Cochlearia.

Potum etiam aquoſum tepidum, leviter aromaticum magna copia ſumendum impero: ſequente plerumque utor:

℞. Rad. Bardan. unc. ij.
— Alth. unc. ß.
Bull. in ſ. q. aq. per ½ horam ſub finem coctionis adde
Ligni Saſaph. ras. unc. j.
digere fervide per ¼ horæ colatur Lib. iij. adde
Nitri antimoniat. Dr. j.
Syr. quinque radic. unc. j. ß.
M.

His omnibus conſpirantibus benigna ſæpe numero obtinetur morbi reſolutio aut quod frequenter etiam accidit, ſalutares pravæ materiæ evacuationes per dictas vias conſequuntur.

Ca-

Catarrhalis maligna.

HAud diſſimile exordium a priori habuit maligna catarrhalis, quippe eadem prophaſi genita, vix non eodem ſymptomatum agmine ſtipata inceſſit, pejora tantum, pertinacioraque, quo nomen malignitatis certius mereretur, veluti comites ſibi adſcivit; hæc inter præcipue eminebant ingens virium proſtratio in ipſo morbi principio, debilitas pulſus, erumpentes petechiæ, deliria ſæva, agripniæ, quotidie, vel & alterno die contingens ſymptomatum exacerbatio.

Nonnunquam fallaci adeo lenitate aggrediebatur, ut morbum latere vix crederes; etenim præter languorem artuum, dolorem capitis, tuſſiculam continuam irritam, levem pectoris oppreſſionem, mitiſſimamque febriculam nihil erat, quod culpares, aſt circa 5. vel & 7. diem evolvebatur ſerpentis mali minera, larvaque lenitatis depoſita, timendam malignitatis faciem oſtentabat. Jam hinc inde conſpiciebantur papulæ, ſive puncturæ pulicum morſibus

ſimiles, quibusdam latiores, aliis minores, univerſum corpus quibusdam, majori tamen ex parte regionem thoracis & dorſum circa medullam ſpinalem occupantes, quamvis frequenter etiam juxta ſcapulas in brachiis & extremitatibus apparerent, coloris læte rubri ſæpe numero, ſaturi quandoque, in moribundis in lividum tendebant.

In toto morbi progreſſu laſſitudo corporis; inſignis virium & animi dejectio, faſtidium ciborum, horrores, verſus veſperam recurrentes, quos validus excipiebat æſtus, aderant, inquietudo, tuſſis ferox, noctes inſomnes, cephalalgiæ, deliria, anxietates mirum in modum exagitabant ægros, pulſus his erat debilis, celer, inæqualis, reſpiratio moleſta & anxia, urinæ crudæ, quibusdam acceſſerunt ſubſultus tendinum, ſyncope, perfrigeratio extremorum, maculæ purpureæ, & his mors certa portendebatur.

Salutem promiſerunt circa, vel in diebus criticis erumpens ſudor tepidus, liberalis, per univerſum corporis habitum, alvus per aliquot dies fluxa, urina turbida cum ſedimento craſſo copioſo,

piofo, fputum puriforme, auditus 11. vel 14 die obtufior factus, pulfus mollis, magis æqualis, animus erectus.

Ratio medendi.

CUrationis exitus five lætus, five funeftus ab ea potiffimum, fi non in folidum, ratione pendebat, qua æger primis morbi diebus tractabatur, enimvero in morbi limine, dum quis regimen calidum, calidioraque imperat cardiaca, ut fcilicet morbum præpropere depellat, nihil præftabit aliud, nifi ut cruoris particulas plus jufto incendat, febris vehementiam adaugeat, & denique denfiffimam exanthematum fegetem producat, cum quibus quafi in campum eductis, non minus, quam cum ipfo morbo decertandum erit.

Et profecto fi in ullo morbo, tunc certe in hoc frequentiffime præpoftera medicatione proliciuntur exanthemata. Altiffime enim infidet omnium animis, morbum a frigore, adeoque fuppreffa perfpiratione exortum haud tutius, quam fudoriferis abigi poffe. Hinc bezoardica, alexipharmaca, crocus,

myrrha, confectio Alkermes & alia ejusdem farinæ fine difcrimine in ufum vocantur; quibus efficitur, ut fanguis horum ftimulo validius commotus, crudam adhuc morbi materiam in fuperficiem cutis evomat.

Num quid in hoc morbo veriffimum eft, exanthemata effe nunquam critica, fed femper fymptomatica? quippe morbi magnitudinem levant nunquam, augent frequentius.

Dum illa recolligo, quæ hoc anno penes ægrotorum lectos notaveram, hanc quæftionem pulchre confirmari video. En in dictorum veritatem binos cafus.

Miles 24. annor. 15 Martii 1760. 4. morbi die ingreditur Nofocomium; febris continua cum ingente dolore capitis ad tuffim exafperato, reliquaque fymptomata febri catarrhali communia aderant, nihil medelæ hucufque adhibuit, confeftim itaque detrahitur fanguis ex brachio, parum phlogifticus, atque vefperi ob febris & cephalalgiæ augmentum iteratur, & quidem ex pede, antiphlogiftica interne dantur, exter-

terne fotus ex aq. ſambuc. & acet. roſarum dolenti capiti admovetur.

5. Denuo vena ſecta fuit, ſanguis iterum gerebat cruſtam lardaceam, ſed tenuem, inde Cephalalgia mitior utcunque, ſed veſperi poſt horripilationes recruduit eadem ſævitie, nox erat inſomnis, anxietas & inquietudo magna, tuſſis multa, ſed irrita, pulſus celer & parvus, bis de nocte, ter de die alvum poſuit liquidam, fuſcam.

7. Sibi melius valere videbatur, oculi tamen erant turbidi, appropinquante nocte dolor capitis, febrisque intenſior revertebantur.

8. Pulſus multum febrilis, reſpiratio anxia & frequens, ſitis multa, tuſſis cum ſputo glutinoſo, alvum ſemel poſuit, ſoporoſus eſt; petechiæ hinc inde apparent. Veſicantia ſuris applicata ſunt.

9. Noctu deliravit multum, dormivit nihil, urina nubeculam ſuſpenſam gerit, alvus fuit frequens. Veſicantia bene operata ſunt.

10. Dolor capitis idem, auditus obtuſus, angitur pectore, pulſus celer & inæqualis eſt, petechiæ læte proſtant,

oculi ſunt triſtes, urina cruda, alvum quinquies poſuit.

11. Caput grave eſt, dormit ſæpe ſomnum brevem, pulſus non adeo celer, attamen inæqualis, reſpiratio celerior naturali, attamen facilis, anxietas minor, tuſſis cum ſputo laudabili, urina cruda, ſed minus colorata; alvus eſt frequens, ſed levans morbum, petechiæ diſparere incipiunt.

12. Diarrhæa continuat, ſepties enim alvum poſuit cum levamine, pulſus & reſpiratio emendantur, ſomnolentus eſt, madeſcit cutis, miliaria alba pauca in conſpectum prodeunt.

13. Noctu ſudavit multum, pulſus inde bonus, parum tamen febrilis, de die bis, noctu quinquies alvum poſuit; præter gravitatem capitis, & auditum obtuſum ſe bene valere aſſerit.

14. Pulſus & reſpiratio bona ſunt, quinquies alvum poſuit cum levamine, multumque ſudavit iterum, jam appetit, pauciſſima adſunt miliaria.

17. Jam priſtinæ ſanitati ſeſe reſtitutum lætabatur.

Homo 48. annor. antehac ludimagiſter, nunc miles factus, a ſuis commilito-

litonibus lepide divexatus vehement ira excandeſcit; contigit hoc 3. Aprilis 1760. bilem pulſurus, mentemque ad ſerenitatem reducturus, bonam quantitatem cremati abligurivit, mox incaleſcit, laborat capite, in ventriculo dolores ardentes percipit; jam minus recte valens lectum petit; Veſperi poſt levem exhorreſcentiam ſequitur intenſus calor, qui duravit per totam noctem.

Altero mane, neſcio, quo ſuadente ſumit purgans, a quo decies vomuit, & catharſes habuit viginti octo.

6. Aprilis, id eſt inchoante quarto morbi die defertur ad noſocomium. Reſpiratio tunc erat ſat libera, pulſus vero celer & contractus, tuſſis aliqua cum ſputo, rubebat multum in facie, cumque haberet corpus toroſum, ſuccis bonis plenum, eodem die ipſi detrahuntur unciæ octo ſanguinis quo ad colorem & conſiſtentiam boni.

4. Quinquies alvum poſuit, dolores infimi ventris ſimul conquerebatur, quos enema ex oleo lini injectum omnino conſopivit.

5. Reſpiratio libera, ſed frequens pulſus celer & parvus erat, dolor circa

cuit aphonus, labia livescebant, nec alvum nec urinam dimisit, vesicantia sicca sunt, petechiæ obscuriores, noctu hora undecima tremulus & convulsus obiit.

Exinde mihi subest contemplari, exanthemata morbis acutis supervenientia raro aut nunquam, licet contrarium vulgo credatur, esse critica, in primo enim casu, nec die critico, nec cum levamine prodierunt, in secundo critico quidem die comparuerunt, sed symptomatum ferociam auxerunt.

Eandem sententiam Lud. Godfr. Kleinius in suo interprete clinico 1753. Lipsiæ edito, quem Albertus de Haller pulchra ornavit præfatione, jam tenuit, ubi ait: *Exanthemata sunt simplex accidens & symptoma, nec critici quid nec salutis spem faciunt.*

Si quis enim antecedentia, & phœnomena concomitantia in ægris studiose collegerit, dein eruptionem exanthematum, sequelasque gnaviter expenderit, non poterit non plerumque symptomatica pronunciare. Idem docent bini casus modo allati, pluresque alii,

quos

quos Clariſſ. de Haen in parte 5. ration. medendi communicavit.

Sed, ut redeam, unde digreſſus ſum, curandi modum breviſſime exponam.

Igitur, cum omnia, quæ huic morbo accidunt ſymptomata, mature mecum penſitaſſem, eaque cum illis comparaſſem, quæ in catarrhali benigna adſunt, differentiam proinde in accidentium ſolummodo quorumdam atrocitate animadvertiſſem, eadem prorſus methodo mihi procedendum eſſe exiſtimabam, qua in catarrhali benigna uſus fueram.

At vero, ut ægrotantium viribus in hoc morbi genere, ſæpe plus æquo projectis, quodammodo conſulerem, ſerum lactis cum vino paratum adjungebam, imo & ſequens miſtura in morbo ſatis difficili ſæpius ſummo cum profectu a me præſcripta fuit.

℞. Camphor gr. xxiv.
mucilag. gum. arabic. Dr. i. ß
Diu tritis & ſubactis adde Syr. Diacod. unc. i. ß
aq. ſtill. meliſſ. unc. vj.

Queis debilitas, jactationes aſſiduæ, tendinum ſubſultus vix non extrema mi-

minitabantur, hoc remedium ſæpe numero optatæ ſalutis ſpem attulit.

Neque ultimum locum merentur ſinapiſmi aut veſicantia, quatenus exuperantem materiam catarrhoſam dividere, attenuare & a cerebro derivare egregie juvant, deliria quoque compeſcunt, robur virium reſtaurant, pulſum oppreſſum excitant, denique criſim molienti naturæ ſuppetias ferunt.

An veſicantia mature applicata copiam exanthematum erumpentium diminuunt? hoc a multis perperam credi nequaquam ignoro, ſed praxis me docuit primis licet diebus veſicantia fuiſſent admota, exanthemata nihilominus confertim texiſſe habitum corporis.

Quæri hic loci poteſt, an quoque cortex peruvianus olim tantopere laudatus in hac febre petechiis ſtipata conduxerit, nec ne? huic quæſtioni tanto lubentius reſpondeo, quanto ſcio certius, permultos medicorum in ſimilibus morbis a cortice peruviano, tanquam a fatali toxico abhorrere, atque contra ejus uſum quacunque data occaſione immaniter debacchari, ſed in practicis non vana imaginatio, nec præconcepta

opi-

opinio nos rapere debet,sed sola & fidelis experientia loquatur oportet.

Demonstravi anno elapso in historia medica febris petechialis, quæ ab anno 1758. fere finiente usque ad annum 1759. Viennæ grassata est, nihil æque profuisse, quam corticem, quod & hoc anno pluries confirmatum vidi, præcipue *morbo vere maligno* existente.

Chirurgiæ assistens Brochart alias sanus, & vegetus juvenis, munus suum rite obiturus, continuo inter ægros, quorum hinc inde quidam petechiis, quidam miliaribus aut aliis gravibus morbis affecti decumbebant, versari cogebatur. Die 23. Martii 1760. sensit subitaneam omnium virium prostrationem, lassitudinem summam, appetitus erat adiaphorus, caput grave, tussis continua, lingua humida sed alba, pulsus & respiratio a naturali statu vix recedebant: versus vesperam subrepsere horrores vagi, sæpius repetentes, quibus successit calor solito major, non tamen perdurans.

Altera die vena aperta dedit sanguinem omni nota bonum, stabant hæc symptomata fere per biduum sine nota-

bili

bili mutatione nec in melius, nec in pejus.

Finiente 3. die denuo invadunt horripilationes, quibus ſuccedit calor intenſior, pulſus augetur velocitate & duritie, reſpiratio difficultate, plus dolet caput, tuſſit frequentius, vires ſummopere labefactatæ ſunt.

4. Die V. S. inſtituta exhibuit ſanguinem phlogiſticum, qualis & 5. die detrahebatur.

6. Ad moderandos capitis dolores, humoresque a cerebro revellendos, in pede celebratur, ſyptomata vero neutiquam mitigantur, quin augentur potius, verſus veſperam fit anxius, pulſus celer & inæqualis, turbantur oculi, abſurda loqui incipit, paucæ apparent maculæ.

7. Collum, pectus, dorſum, & extremitates confertis ſcatent petechiis, profunde rubeſcentibus, ſat latis & longis, vibicum inſtar, reliqua manent in eodem ſtatu.

9. Tuſſis urget, ſputum paucum glutinoſum reddit, pulſus celer & inæqualis eſt, reſpiratio difficilis, delirat ſine intermiſſione, alvum ter poſuit.

11. Petechiæ numero pauciores, & colore obſcuriores viſuntur, lingua ſicca eſt, ſitis ingens, urina cruda ſine hypoſtaſi, alvum 5. poſuit, multum deliravit, vires admodum dejectæ.

12. & 13. Continuavit diarrhæa ſine euphoria, cumque alia quoque determima ſymptomata perſeverarent, creſcente ſimul debilitate, extracti corticis Peruviani unc. j. ſingulis 24. horis ægro ſumenda dabatur.

14. Nox prægreſſa anxia valde, & inſomnis fuit, multum deliravit, urinam reddidit aquoſam, ſexies dejecit per alvum, illuceſcente die adhuc deterius habuit, pulſus eſt inæqualis & intermittens, reſpiratio denſa, anheloſa, cita, frigeſcunt extrema, palleſcit vultus, ſudor gelidus occupat frontem, rotantur oculi, ſubſiliunt tendines, convelluntur muſculi facici, pulſus evaneſcit fere, deficit animus, jam jam moriturus videtur.

Sed quod ſummopere demirandum, ſopita convulſione ſenſim recaleſcit corpus, jamque deſperata redit vita. Strenue in uſu corticis, me hortante

con-

continuatum eſt, verſus veſperam miliaria tum rubra tum alba cernebantur.

17. Melius utcunque valuit, ſomnum capiebat ſed brevem, non ſine deliriis, functiones vitales non adeo oppreſſæ ſunt, totum corpus conſitum eſt miliari exanthemate.

20. Febris moderatior, reſpiratio liberior, dormivit aliquot horas noctu, ſubdelirat, lingua antea ſicca incipit madeſcere.

24. Intumuere nares & facies eriſipelatoſo tumore, iterumque magis delirat, alvum non poſuit, ſed flatus dimittit, ſitis magna, reſpiratio tantum per os, per nares nulla, hinc lingua denuo ſicca, ſed egregie bibit.

27. Magis tumuit facies & naſus, bene dormivit, & ſudavit multum, reſpiratio jam bona eſt, pulſus adhuc febrilis, urina naturali ſimillima cum nubecula fundum petente, tuſſi cocta egerit, ſiccantur miliaria.

28. Hæmorrhagiam narium patitur ad unc. iv., ſudavit uberrime, alvum ter poſuit liquidam, flavam, tumor faciei minuitur.

29. Paucæ cruoris guttæ denuo na-

ribus prodeunt, ſequitur ſudor copioſus, alvus frequens cum levamine, diſparet eriſipelas.

34. Appetit multum, ſeque quoad omnia ſat bene valere lætatur.

Per quatriduum ſanus ab alimentis avidius ingeſtis, recidivam patitur, quam purgans lene bis repetitum intra paucos dies perſanavit.

Malignitate ſymptomatum non abſimilis erat caſus militis novitii, quem 18. Aprilis 1760. febris catarrhalis prehenderat.

20. Ann. natus conſuetis obruitur febrium ſymptomatibus, 3. morbi die ingreditur noſocomium, queritur laſſitudinem ſummam, frigus & calorem alternantia, anxietates, ſitim ingentem, nauſeam, vigilias permoleſtas, caput a principio morbi vehementer doluiſſe, ſed largiſſima narium hæmorrhagia per horæ ſpatium durante, dolorem mitigatum fuiſſe narrat, neque excitari crudele malum, niſi tuſſi, tumque dolores ſeſe ſentire pungitivos: cæterum oculi ſunt turbidi, lachrymoſi, nares obſtipatæ, pulſus celer, plenus, non durus

durus, respiratio sat bona, alvum a biduo non posuit.

Eodem hoc die, morbo adhuc crudo existente administratur phlebotomia: enema injicitur refrigerans cum effectu: antiphlogistica interne dantur.

Febris moderata, respiratio naturali celerior, dormivit parum, lassitudo eadem, lingua sicca, calet & dolet capite, alvum semel habuit.

5. Respiratio sat facilis, pulsus autem celer & contractus, lingua humida est, sitis tamen ingens, jam apparent petechiæ, profusam narium hæmorrhagiam iterum passus est mane, quæ vesperi denuo recruduit, inde caput levatum, sed vires debiliores: idcirco ad tantam cruoris jacturam resarciendam, viresque propemodum confractas paulisper fulciendas serum lactis vinosum propinatur.

6. Respiratio non multum impedita, pulsus celer & inæqualis robore, sitis non exstinguenda, tussis frequens cum sputo, caput obtusum est, petechiæ bene prostant, præcipue in brachiis & cruribus, modicam denuo passus est hæ-

morrhagiam, quinquies alvum de die, sexies noctu posuit.

7. Petechiæ numero pauciores, & quæ supersunt, livescunt, inde præcordiorum anxietas, pulsus inæqualitas, respirationis difficultas, sensuum hebetudo, artuum tremor, dolores quoque rheumaticos per crura & femora diffusos acerbe conqueritur; octies purgatus fuit, transitum est ad usum corticis Peruviani, Vesicantia suris admota sunt.

8. Insignis mutatio in melius non est subsecuta, nisi quod petechiæ in brachiis magis essent conspicuæ, minus in pectore, adhucdum lividæ; undecies alvum posuit liquidam, flavam, medicamentum assumptum semel revomuit, vesicantia sat bene operata sunt.

9. Pectus non adeo oppressum, respiratio liberior, pulsus celer, attamen æqualis, oculi nitidiores, dormivit noctu aliquot horas, perspirat bene in toto corpore, rubescunt petechiæ, lingua humida, sed sordida est, ter alvum posuit, urina nubeculam in medio suspensam gerit.

11. Pulsus adhuc multum febrilis, respiratio magis anxia, caput grave,

audi-

auditus obtusus, dormit & noctu & interdiu, noctu quater, de die septies alvum posuit, petechiæ disparent, tussis vexat validior, quam unquam, nihil rejicit, nisi tenax gluten cum difficultate, hinc Kerm. miner. gr. iij. omni quadrihorio offeruntur.

14. Respiratio satis commoda, pulsus moderate febrilis, oculi nitent, caput, pectusque non queritur, surdaster est, tussit, sputumque reddit puriforme, coctum, facile, capit subinde somnum, & quidem reficientem, urina habet hypostasin, alvum bis posuit, appetit.

17. Febris abest, facies alacris est, somnus tranquillus, tussit rarius, baryecoia minuitur, de die ter, noctu Sexies alvum posuit cum levamine, vires recrescunt.

20. Mane quoad omnia sanus, vesperi ab alimentis avidius ingestis vomuit, febricitat, sed postero die assumpto purgante reconvaluit, iterum rediit appetitus.

22. Denuo post horrorem, pulsus deprehenditur febrilis, quin causa pro-

catarctica febris assignari potuerit; alvum bis posuit, dormivit satis bene.

23. Intenditur febris eo usque, ut pulsus celeritas, ejusque durities, licet virium robur alioquin dilapsum esset tum morbi magnitudine, tum diuturnitate, V. S. exigeret, quæ etiam facta exhibuit sanguinem phlogisticum, simul data est mixtura ex stibio diaphor. non ablut. oximell. & aq. Sambuc. Nocte insequente bene dormivit, & sudavit cum euphoria. Exinde intellectu facile erat, quare de Berger de præsag. ex algor. in acutis dicat: *algor febribus catarrhalibus superveniens, non est contemnendus, cum febris inflammatoriæ index esse queat, quas enim pedissequas crebro habent, aut comites.*

24. Nihil notatu dignum accidit.

25. Post meridiem totum corpus exhorrescit, undique contremiscit, tum subsequitur calor intensior, quem excipit sudor copiosus, novum levans morbum, secus bene dormivit, iterum appetit.

26. Melius habuit, sanguine manavit coram me, alvum ter posuit, apyretos est, valde appetit.

27. De-

27. Denuo ſudavit cum levamine, non gravatur ab aſſumptis, præter vires debilitatas ſibi bene eſſe lætus aſſerit.

Ex ejuſmodi obſervationibus probe factis, id, ut opinor, colligere licet, vires corticis Peruviani in ſumma febris petechialis malignitate egregias eſſe.

Cadaverum ſectiones.

I.

MIles 22. annor. ante quadrimeſtre ſpatium ſuſtinuit morbum acutum inflammatorium, a quo non niſi ægre evaſit, nihilominus pedetentim appetere incepit, manducare, nunquam vero refici ab alimentis, ſic dum languida membra traheret, ſervitiisque ineptus fieret, ad meum noſocomium defertur.

Conquerebatur de tuſſi continua, ſicca, irrita, verſus veſperam ſæpe numero ingruere horrores univerſum corpus pervagantes, hos excipi a calore intenſo, denique largo ſudore ſolvi paroxiſmum, adjungebat, ſibi pedes inflari, lecti vero calore tumorem rurſus

diſſipari, ſeſe anxium eſſe, difficulter reſpirare, habitum corporis magis magisque indies conſumi.

Sibi frequenter accidere ultro narrabat, ſe ſomnum capturum ſumma cum anxietate excitari, cor vehementer palpitare, ſuffocationisque minas ſibi multoties intentari, ſeque miſeræ vitæ terminum impatienter, & cum deſiderio præſtolari.

Funeſtas morbi acuti reliquias in pulmonibus hærere, ex ſignis recenſitis manifeſtum erat, hinc expectorantia remedia ægro exhibebantur, quæ quidem tuſſim auxerunt, nihil vero ſputi produxerunt, infuſum ſtipitum dulcamaræ inter cætera maxime conduxit, quatenus vires expectorantes, diureticas, diaphoreticas, poſſidet præſtantiſſimas, ſed neque hoc malo funditus exſtirpando ſuffecit, adeoque anxius & anhelus poſt octidui ſpatium, quo in noſocomio morabatur, obiit.

Remotis integumentis communibus inteſtina ſana & integra comparebant, in aqua non adeo copioſa fluctuantia.

Lien, ventriculus, hepar, immunia conſpiciebantur.

Pu-

Pancreas in tota ſua ſubſtantia in ſcirrhum irreſolubilem induruit.

Ablato ſterno, dexter pulmo mollis ſpongioſus, pauco innatans ſero, parvis vomicis, hinc inde diſſeminatis hirtus.

Siniſter pulmo ab illuvie aquarum ita ſepultus erat, ut nihil prorſus appareret: aquis evacuatis ſupererat parva portio dura, inſtar linguæ bovinæ, vertebris dorſi alligata.

Cor ſanum alias, magnam ſanguinis grummoſi quantitatem in ſuis Cavis includebat.

II.

MIles 47. annor. ante ſex annos ab equo preceps actus, ſentiebat continuos dorſi, lumborumque dolores, quos inunctione aliquoties abegit, ſed iterum reverſi easdem partes laceſſebant. Biennio poſt pedes inflari ceperunt, venter quoque intumeſcere, unde purgantibus hydragogis & diureticis curabatur.

Anni ſpatio poſt idem rediit malum, ſed & ſimul tuſſicula ſicca, diſpnæa, torpor, brachii dextri pareſis, & Oe-

dema

dema accesserunt, tandem ad minimum motum anhelabat, nullo in latere sine suffocationis metu jacere poterat, hinc dorso incumbere semper cogebatur.

Remediis idoneis aliquamdiu exhibitis, nihil tamen proficientibus ad paracentesin deventum est, qua 28. Lib. seri limpidi, flavi eductæ sunt.

Sed symptomata inde non mitigabantur, manente scilicet eadem spirandi difficultate, tussi anxietate &c. An non exin derivari potest hæc regula? si aquis hydropicorum ex abdomine eductis dispnœa perstat, pectoris hydropem suspicari licet, quam & sectio anatomica septimo ab operatione die instituta confirmavit.

Abdomen apertum adhuc continebat 16. libras aquæ parum fætidæ.

Intestina erant sat bona. Lien nigro tinctus colore. Mesenterium gerebat in sua substantia binos tumores scirrhosos, vere cartilaginosos, pugni magnitudinem adæquantes, qui discissi continebant materiam sevo consistenti persimilem.

Aperto thorace, utraque ejus camera aqua erat plenissima, cui pus innatabat.

Su-

Superficies pleuræ, & diaphragmatis pſeudo membrana ſubpurulenta obducta cernebatur.

Pulmonis dextri vix ſupererat veſtigium, ejus locum tenuit craſſa dura membrana, quæ parvam ſubſtantiæ ſpongioſæ portionem includebat.

Siniſter mole quidem major, undique adhæſit pleuræ, mediaſtino, pericardio, figura ſua, diametro, longitudine inteſtini craſſi portionem referebat.

Pericardium ſimili ſcatebat aqua ſubpurulenta.

Quam mirum! hominem cum ſimilibus pulmonibus horam vivere potuiſſe.

III.

HOmo juvenis alias ſanus & robuſtus a biduo diarrhæa laborat, cum inde non nihil debilitaretur, domique ſuæ minus commode ægrotaret, Noſocomium adiit.

Pulſus illi tunc erat naturalis, reſpiratio bona & libera, lingua humida, ſitis vix ulla, nulla corporis parte doluit, niſi quod levia tormina ventris nonnunquam ſentiret; ſumpſit ibi ad diarrhæam moderandam aliquos pulveres

res ex Mirobal citrin. bol. armen & nuc. myriſtic. compoſitos, a quibus diarrhæa multum mitigata, non vero ſopita fuit.

Finiente die 3. a cauſa ignota incipit maniace delirare, tum furere, clamare, & lecto ſurgere, in adſtantes audacter irruere, hinc vinculis lecto affigi debuit.

4. Die continuavit idem delirium cum pulſu naturali.

V. S. in pede celebrata fuit, enema revellens injectum, emulſio paregorica præſcripta, veſicantia ſuris admota; noctu inter continua deliria & labores exſpiravit.

In cadavere omnia viſcera tum thoracis, tum abdominis ſana reperta ſunt.

Caute ablato cranio, cerebri vaſa multo cruore infarcta turgebant.

Parvæ bullulæ aqua limpida, inſipida plenæ hinc inde piæ matri incumbebant, ita ut plures eſſent in hæmiſpherio dextro, pauciores in ſiniſtro, quædam racematim cohærebant, quædam in determinato reſidebant loco.

Ventriculi cerebri humore ſcatebant aquoſo, paulo copioſiore.

Circa

Circa medullam oblongatam latuit ſerum ſanguinolentum ad unc. j.

Reliqua ſubſtantia tum corticalis, tum medullaris ſana.

An ergo hæ bullulæ furibundi delirii citæque mortis cauſa?

IV.

HOmo 32. annorum, anno elapſo pondus ſat grave elevare nititur, quo omnes ſuas vires intendit, paulo poſt ſentit dolorem in lumbis, calorem, anxietatem, pruritum in pectore, ſequitur tuſſis, cum qua egerit floridi ſanguinis ingentem quantitatem, ſimulque urinam miſit cruentam, unde multum debilitatus per octiduum domi ſeſe detinere debuit.

Nihil medelæ adhibuit, tamen, ut ajebat, perfecte convaluit.

Cum vero vitæ ſuſtentandæ cauſa, eosdem, quos antea toleravit, duros repeteret labores, recruduit denuo fatale malum, ita, ut homo totus exſanguis & cachecticus redderetur.

Notatu dignum, quod homo in toto morbi decurſu nunquam materiam

puru-

purulentam rejecerit, ſed ſemper gluten ſanguine permiſtum.

A tanta ſanguinis jactura viribus jam fractum febris adoritur, cum pulſu duro, reſpiratione anxia celeri, calore intenſo, ſputo ſuppreſſo.

Vena ſecari debuit, ſanguis erat cruſta lardacea obductus, decoctum emoll. ex Alt. malv. verbaſc paratum, optime conduxit ægro, ſputum denuo prodiit ſanguinolentum, nigrum valde fœtens. 4. Morbi die ſuccubuit.

Sectio anatomica monſtravit: omentum tenue admodum & breve, inteſtina tenuia inflata, colon hinc inde arctiſſime conſtrictum, hepar ſanum.

Ren dexter altiſſime hæſit ſub coſtis ſpuriis, ſiniſter ad vertebras lumborum locatus, mole major includebat calculum ſcabrum, piſi magnitudine.

Pulmo dexter omni nota ſanus.

Siniſter omni ex parte vicinis partibus adhæreſcebat, durus, atro tinctus colore, diſſectus exhibuit ſaccum amplum, cruore fætidiſſimo, qualem vivens rejecit, plenum.

V.

V.

Miles 26. annor. frigidi temperamenti, ab incunabulis ut ajebat, nunquam rite valens cruribus, abdomine, universoque corporis habitu intumescit, tumor est flaccidus, mollis instar pastæ, atque vestigia impressorum digitorum diutissime retinet; respiratio ipsi est rara & magna, pulsus tardus, quandoque inæqualis, subin cor vehementer palpitat, præcipue dum se movet, noctu profunde dormit, mane a somno evigilanti palpebræ, atque pars illa, cui incubuit, immaniter tumet, extrema plerumque frigescunt, tandem lethargico obruitur sopore.

Purgantia hydragoga repetitis licet vicibus adhibita, diuretica, incidentia, salina, Clysmata acria, stimulantia, sinapismi, vesicantia, malum quidem mitigarunt, non tamen curarunt. Hinc etiam soporosus obiit.

In Cadavere omentum pingui orbum, valde extensum, ad pelvim usque propendulum, in sua duplicatura aquam continebat.

Hoc remoto intestina tenuia facile

lacera, hinc inde livida comparebant. Craſſa naturalem habebant colorem.

In cavo pelvis gelatina reperiebatur.

In Thorace pulmo dexter undique pleuræ adnatus videbatur.

Siniſter aqua circumdatus in ſumitate ſemiputridus abſceſſum aluit.

Pericardium abundabat aqua. In ventriculo cordis ſiniſtro inſignis latuit polypus, qui bifurcata ſua ramificatione in arteriam aortam penetrabat.

Cerebri vaſa, per piam matrem diſperſa, non ſanguine, ſed aqua turgeſcebant, ventriculi anteriores lympha pleni erant.

In ſinu longitudinali polypus digiti minoris craſſitiem habens, albicans, ſpithamam longus reperiebatur.

VI.

Miles 25. annor. per ſesqui anni ſpatium febre intermittente, nunc tertiana nunc quartana laboravit, ita quidem, ut inter hoc tempus medicamentis aſſumptis ſileret nonnunquam, mox iterum eodem rediret pede. Ex chronico hoc malo cachexiam, & ingentem tumorem in hypochondrio ſi-

niſtro

niſtro retulit, qui mobilis, latus regionem hypogaſtricam attingebat. Unde Lienem induratum quidem ſuſpicari, minime vero certo affirmare licuit.

Tandem fervido menſe Julio, exulante jam aliquamdiu febri, dyſenteria corripitur, a qua intra paucos dies enectus periit.

Diſſectis integumentis Omentum cernebatur convolutum, nodoſum, tuberoſum, hæc tubera pingue gelatum continebant.

Hepar ingentis magnitudinis in tota ſua ſubſtantia præter naturaliter durum erat, in parte convexa recondebat abſceſſum, qui læſus fundebat puris boni, albi, cocti Lib. j. ß. evacuato pure ſuperſtes erat cavum, quod facile binos caperet pugnos, latera autem hujus cavi firma & dura ſecanti cultro reſiſtebant.

In parte concava tumor apparuit albicante membrana occluſus, qui vulneratus materiam mucilaginoſam habuit.

In Veſicula fellea paucus, craſſus, nigricans, & glutinoſus liquor, ſimulque 33 Calculi, plerumque triangulares ka-

tuerunt, coloris externe ſubnigri, diffracti flaveſcebant.

Lien durus & ingens ponderabat Lib. iij. & unc. viiij. in ſuperiori parte tenui, lævi cartilagine cruſtatus, in inferiore liveſcebat.

Thoracis viſcera carebant labe, cor parvum & exſangue deprehendebatur.

V II.

MIles 28. annor. peripneumonia corripitur. Statim in principio pondus & gravitas pectoris, reſpiratio denſa & difficilis, rubor genarum, oculorum rubedo, pulſus celer & durus morbi periculum annunciabant.

Quatuor V. S. moderandæ febri adhibebantur. Nitroſa, antiphlogiſtica affatim ingerebantur, his quoque pectoralia reſolventia, derivantia jungebantur. Omnibus licet conſpirantibus ſalutaris materiæ morboſæ excretio neutiquam obtineri poterat. Hinc decimo quarto die jam ſigna ſuppurati pulmonis apparuere.

Paulo poſt variæ metaſtaſes contigerant.

Os ſacrum, & magnam dorſi partem occu-

occupabat rubor, cutis tendi, & inflammari incipiebat, mox in cute inflammata ſparſim enaſcebantur parva tubercula, quæ ſponte rupta materiam purulentam plorabant, ita, ut tota cutis cribri inſtar pertuſa plurimis foraminulis dehiſceret.

Circa arcuatam coſtæ 4. & 5. veræ regionem novus oriebatur tumor, qui apertus illico dedit boni puris unc. jv.

Tertius abſceſſus in ſummitate ſterni, ubi nimirum committitur cum clavicula, ſeſe manifeſtabat.

Cum porro materia purulenta per univerſum corpus diſperſa eſſet, ægro infuſa detergentia ex Veronic. agrimon. heder. terreſt. &c. una cum lacte offerebantur.

Sed febricula hectica, ſudores nocturni, diarrhæa colliquativa, junctis viribus hominem brevi poſt tumulo intulerunt.

Cadaver externo intuitu macilentum & extenuatum apparebat.

In dorſo examinatum liveſcebat, qua nimirum late patuit pravæ materiæ decubitus.

Ablata cute paniculus adipoſus a ma-

teria acri ulcerosa exesus videbatur, quæ simul cuniculos egit latos & profundos per membranam cellulosam ad musculos glutæos usque, ad tochanterem majorem ossis femoris in uno latere, in altero intra musculos substitit.

Abdominis viscera cæteroquin sana reperta sunt, nisi quod hinc inde contracta, alibi ampliora fuerint.

Intestinum cæcum & illa pars coli, quæ hepar versus adscendit, scibalis durissimis onustum erat. Ileon solito rubicundius deprehendebatur.

Omentum hepati lata basi erat accretum & ab hoc tanquam a suo involucro tegebatur.

Thoracis facies externa binos monstrabat abscessus, unum in parte laterali circa costam 4tam veram, quo stilus immissus pleuram attingebat, sed tamen integram offendebat.

Alterum in sumitate sterni, quo stilus immissus in sinistram thoracis cameram penetrabat.

Ablato sterno pulmo dexter undique accretus pleuræ, in summitate scirrhosus apparebat.

Sinister, corruptus, niger, friabilis, semipu-

miputridus, in pure copioſo fætente natabat.

Pulmo diſciſſus ulcera ſinuoſa inter ſe communicantia oſtendebat.

Pleura in illa parte erat corroſa, coſtæ binæ magna ex parte nudæ, perioſtio deſtitutæ.

Sternum pone commiſſuram cum clavicula quoque arroſum inventum eſt.

VIII.

MIles 34. annor. gangræna a frigore oborta, digitos pedis dextri fere omnes amiſerat, ſed & ſimul, quia phalangum caries & exfoliatio contingebat, diutiſſime lecto affixus tenebatur, tum neſcio, qua prophaſi (an a miſerrima vita prægreſſa) originem duxit tuſſis moleſtiſſima, quæ diu noctuque exagitavit ægrum, illumque ſomno & viribus privavit.

Inter remedia pectoralia, mucilaginoſa, obvolventia, emollientia, ſolus papaveris ſuccus adjumento fuit, reliqua vix ullum præſtiterunt effectum.

Porro a tam violenta tuſſi ſtrias ſanguineas extundere cœpit, venter dolere, tumere, appetitus aboleri, exte-

tinuit: dexter erat magna ex parte durus & ſcirrhoſus.

Siniſter in ſero ſanguinolento natabat, a quo mollis & friabilis reddebatur.

IX.

Homo juvenis 19. annorum ex ſinu parentum vi abreptus ad militiam pertrahitur. Ab illo tempore triſtior factus, ſemper acerbe cordis dolorem, thoracisque anguſtias querebatur. Tandem horror & febris hominem invaſit.

3. Morbi die ad meum noſocomium defertur: pulſus tunc erat durus & celer, reſpiratio frequens admodum & celeris, anxietas, inquietudo magna, ſitis intenſa, tuſſicula ſicca, dolor cordis perpetuus.

Illico V. S. adminiſtratur, ſanguis erat multum phlogiſticus; hæc repetitur ad tertiam uſque vicem; ſimulque diluentia, antiphlogiſtica, nitroſa offeruntur. Enena refrigerans ad alvum reſerandam injicitur.

Somnum capiebat nullum, ſemper animi dejecti, & cogitabundus videba-

tur, 6. morbi die bis passus est lypothymiam. Incipiente 7. mortuus est.

In cadavere omnia viscera abdominis sana & integerrima reperta sunt.

Pulmo uterque labe carebat.

Pericardium solito amplius, & magis extensum, digitis attactum fluctuantis materiæ indicium dedit.

Hoc aperto, puris boni circiter Lib. ß effluxit.

Interior ejusdem superficies membrana subpurulenta, spissa, obducta cernebatur.

Cor parvum compressum, pilosum, simili pseudo membrana vestitum erat.

Ventriculus cordis dexter materiam tremulam polyposam continuit.

X:

HOmo 38. annor. alias sanus ante quadriennium ex alta delapsus arbore impingit ventre in durum obstaculum, unde ultra horæ spatium exanimis jacuit. Paulatim tamen ad se rediit, dolores ventris acerbos conquerebatur, per triduum una cum alvo sanguinem grumosum exonerabat, atque deinceps vehementer ægrotabat,

ita

ita ut vitæ ſervandæ exigua ſpes affulgeret. Attamen V. S. repetita, medicamentis quibusdam interne aſſumptis, epithematibus externe applicatis intra ſex ſeptimanas convaluit.

Per biennium utcunque valens, tandem ad motum corporis paulo celeriorem angi cœpit, difficulter reſpirare, acies oculorum obtundi, ſenſus hebeſcere, vires concidere, palleſcere, denique in animi deliquium labi.

Advertebat ſimul ingratam, & vehementem pulſationem in abdomine, quæ quiete corporis miteſceret, motu vero augeſceret, nunquam autem penitus ſileret.

Morbo ſuo, quem a ſaburra in ventriculo latitante proficiſci, exiſtimabat, medelam allaturus, proprio inſtinctu binis vicibus potionem purgantem abligurit, ſed ſine ullo prorſus levamine. Suadente amico fomentum ex abſinth. vulgar. nuc. myriſt. & vino paratum, debilitato, ut credebat, ſtomacho admovebat. Sed & hoc ſucceſſu caruit.

Sola Venæ Sectio plurimum ſemper profuit.

Mox tamen, ubi parum citius obambu-

ambulabat, eadem ludebatur tragœdia, eadem recruduit fatalis pulsatio.

Quatuor ante mortem septimanas ego accitus historiam morbi partim ab adstantibus, partim ab ipso ægro relatam accurate expendo, simulque præsentem ægrum attente considero.

Hominem inveni macilentum, viribus fractum, cum pulsu parvo debili, inæquali, sæpe numero intermittente, respiratione anxia difficili, appetitu abolito, tussicula sicca.

Porro denudatum examino abdomen, pulsantique loco manum applico, fortis & ingens erat, quam sensi, pulsatio.

Magnum & incurabile malum hic loci hærere, ratus, præscripsi tamen illa, quæ in simili casu a viris in arte medica præstantissimis laudari solent.

℞. Rob. Sambuc.
Mell. pur. aa. unc. ij.
Terr. foliat. tart. Dr. ij.
Laud. opiat. gr. iij.
m. sumat omni quadrihorio
parvum cochleare.

Siti

Siti restinguendæ serum lactis destinabatur.

Victum tenuem, summam corporis & animi quietem imperabam.

Alvus immorigera sæpius Clysmate emolliente sollicitabatur.

Quibus id effectum, ut homo intra octidui spatium melius longe haberet, lectique pertæsus surgeret, obambularet in cubiculo.

Verum tamen mansit semper eodem in loco molesta pulsatio, ibant, & redibant tetra symptomata nunc crescendo nunc diminuendo.

Postquam per biennium & ultra lethales has vicissitudines esset expertus, mortisque truculentæ ludibrium fuisset, e lecto surgit alvum depositurus, ab hoc motu valde fit anxius, atque gelido sudore perfunditur, mox syncope correptus, de repente mundo vale dixit.

Cadaveris aperiendi copiam nactus, deprehendi intestina e sua sede dimota, utrumque latus occupantia, mediante pseudo membrana arcte inter se cohærentia.

Centrum mesenterii hinc inde inflammatum, lacerum & exulceratum.

Huic

Huic fuccubuit faccus amplus durus craffus; aneurifmaticus pugni magnitudinem excedens, qui ex pluribus lamellis craffis flexilibus, & elafticis, mirum in modum inter fe nexis & conglutinatis componebatur. Vulneratus magnam fanguinis coagulati quantitatem continebat.

Ulteriori indagine conftitit hunc faccum arteriam aortam effe, paulo inferius, ubi emulgentibus originem dedit, enormiter extenfam.

Subjectæ lumborum vertebræ friabiles, molles, hinc inde fubnigræ, facili attactu in pulverem fatifcebant,

Reliqua corporis vifcera nihil notatu dignum exhibebant.

